PA 4417
.S4
Copy 1

PA 4417
.S4
Copy 1

QUAESTIONUM
CRITICARUM SOPHOCLEARUM
SPECIMEN I.

DISSERTATIO
QUAM SCRIPSIT
ET
PRO SUMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBUS
OBTINENDIS
AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM
ORDINI
IN UNIVERSITATE LITTERARUM IENENSI
PROPOSUIT

LUD. SCHUMACHER.
BEROLINENSIS.

IENAE, 1868.
TYPIS RATII.

PA4417
.S4

Manus

secunda sive diorthotae, quae a Dindorfio in adnotationibus criticis litera S signatur, in codice Laurentiano, quam auctoritatem habeat ad Sophoclem emendandum.

Quaestio proposita delegat nos ad Florentinum illum intra rempublicam virorum doctorum vel maxime celebratum codicem, qui, uno volumine duos nobilissimos antiquitatis poetas, Sophoclem et Aeschylum et insuper Apollonium Rhodium complectens, reliquias illorum auctorum nobis conservavit ea condicione, ut, si quidem cum innumerorum ceterorum codicum unum vel alterum eorundem poetarum sive integrum sive ex parte tantum continentium ratione illum comparaveris, laus optimi codicis ei nullo modo possit denegari.

Dignus igitur videtur, de cujus historia, ut ita dicam, atque indole, pauca praemittamus.

Asservatur Florentiae in bibliotheca Medicea Laurentiana, (plut. XXXII. nr. 9.) ab editoribus Sophoclis praeeunte Petro Elmslejo Laurentianus primus (**LA.** s. **La.**) constanter nominatus. Scriptus est in pulcherrimis membranis formae quadrantalis majoris et hodie quidem constat foliis 264., quorum priora ad numerum 118. Sophoclis tragoedias septem superstites continent, quae sequuntur 84. totidem Aeschyli, reliqua 62. Apollonii Ar-

gonautica. Sed lacunae quaedam insunt in hoc libro: exciderunt enim quaternio duodevicesimus (ιη.) totus et undevicesimi (ιθ.) interiora sex folia, quod quum jam saec. XV.[1]) factum esset, Aeschyli Agamemnonis vv. 310. —1066., vv. 1160. usque ad finem atque initium Choëphorarum partim nonnisi deterioribus quibusdam codicibus nobis servata sunt, partim prorsus perierunt.

De tempore, quo codex scriptus videtur, sententiae eorum, qui eum in hanc rem examinaverunt, tantum non inter se conveniunt, quum alii sententiam secuti Blandinii, quae exstat in catalogo bibliothecae, saeculo X. eum adscribant (sic Cobetus in oratione de arte interpretandi p. 103.), alii cum Prienio [2]) ante annum millesimum quinquagesimum exstitisse eum velint, alii denique, inter quos imprimis G. Dindorfius nominandus est, eum saeculo XI. originem suam debere existiment. Si igitur cauti esse volumus, dicendum est: inter annum 900. et 1100. Laurentianum in lucem proditum esse.

Id tamen certissime constat, esse Laurentianum vetustissimum omnium, quotquot innotuerunt Sophoclis, Aeschyli, Apollonii libri manuscripti.

Patria codicis, sicut fere omnium, qui aetatem tulerunt, antiquiorum librorum graecorum fuit Graecia neque improbabilis est Dindorfii conjectura, qui illum in magno numero eorum codicum fuisse opinatur, quos olim Joannes Lascaris jussu Laurentii Medici in terris Byzantinis coemit secumque in Italiam reportavit. Sed

---

1) Cf. *G. Dindorf, über die medic. handschrift und deren verhältniss zu den übrigen handschriften.* Philol. vol. XVIII 55 sqq.

2) Cf. Praefat. Ritschelii ad Aeschyli Septem.

quod scimus in hac re, summi etiam momenti est neque in hoc neque in alio quolibet Sophoclis codice recte aestimando negligi potest, scilicet: exstitisse illum librum circa annum millesimum in terra graeca, scriptum et correctum inter Graecos ab hominibus, qui sine dubio et ipsi lingua graeca utebantur, unde demum saec. XV. nescimus accuratius, qua occasione oblata, Florentiam in bibliothecam Mediceam devenerit.

Transimus ad describendam ipsam formam codicis, qualem ut Laurentianum potissimum, id est in tragoediis Sophoclis, deprehendimus, quamquam haud pauca ex iis, quae jam exposituri sumus, ad reliquos duos, quos continet scriptores, aeque valent.

Literae minuscularum praebent formam; sed intermixtae sunt tales, quae literis capitalibus simillimae sunt.[1])

Numerus linearum, quod quidem ad ipsum textum attinet, in singulis paginis fluctuat inter 44 et 48. Sed praeter textum scholia in Laur. exstant, quae tamen nec simul cum textu scripta sunt nec omnino postea fore, ut fabulis adderentur, statim in instituendo opere praevisum est. Nam spatium, in quo scholia illa quasi compressa conspiciuntur, valde exiguum est: est enim margo superior et inferior atque uterque interior (in sinistris paginis post fines, in dextris ante initia versuum), dum exteriores exceptis quibusdam librarii adnotationibus vacui relicti sunt.

Quae spatii angustiae in re fuisse videntur, cur in scribendis scholiis multo saepius ad compendia refugien-

1) Cf. G. Wolfius in Mus. rhen. vol. IX. p. 119.

dum esset quam in verbis poetae, quippe qnae nonnisi in correctionibus quibusdam plerumque plene scripta sunt.[1])

Praeterea quoque inter singulos versus passim scholia inveniuntur; sed multo magis scatet illud spatium glossis variisque diversorum sive correctorum sive librariorum sive denique lectorum mutationibus adnotationibusve.

Exaravit autem septem superstites Sophoclis fabulas unus librarius, qui idem Aeschyli Persarum versus 1—705. addidit, quo facto alius scriba opus ab illo inceptum persecutus reliqua Aeschyli perfecit.

Ad cognoscendam vero eam rationem, qua scribae illi opere suo defuncti sint, attulisse satis erit, quae G. Dindorfius in praefatione ad Sophocl. Oedip. R. edit. III. Oxoniensis vol. I. de illis judicavit: „illi librarii," inquit, „ita sibi sunt similes, ut si utrumvis recte moris ambo noveris. Nam quum par utriusque inscitia esset et exemplari uterentur literis capitalibus exarato accentibusque, qui est antiquiorum librorum mos, saepissime omissis, fieri non poterat, quin in omne fere genus errorum inciderent, literis vocabulisque vel figura vel sono similibus permutandis, aliis transponendis vel omittendis, vel ubi archetypi scriptura pallidior erat, male legendis."

Jam priusquam ad ipsam rem, quam tractandam nobis sumpsimus, accedamus, certum fundamentum quaerere opus erit, quo insistentes de singulari illo modo,

---

1) Sic enim intelligenda sunt, quae paulo obscurius de hac re exposuit G. Wolfius l. l.

quo praeter librarium alius quidam homo sive scriba sive corrector in codice Laurentiano versatus sit, certius judicare possimus. Dicendum igitur est de variis illis collationibus, quibus novissimis demum temporibus pleniorem Laurentiani notitiam nacti sumus.

Quattuor deinceps viri docti negotium illud examinandi excutiendique Laur. susceperunt: primum Petrus Elmslejus anno 1820., post eum Cobetus circa annum 1845., tum Gustavus Wolfius anno 1848., postremo Fridericus Duebnerus nescimus accuratius quo tempore.

Inter quos quidem Petro Elmslejo etiam aliter de Sophocle egregie merito ea laus tribuenda est, quod non solum statim, quum primum codicem adiret, singularem hujus libri diu neglecti praestantiam perspexit sed etiam in restituenda Sophoclis genuina scriptura eminentem quendam locum eidem vindicavit. Collatione vero ab Elmslejo instituta moxque publici juris facta utebantur fere omnes, qui per triginta circiter annos post illum edendis Sophoclis fabulis operam dederunt.

Tamen praeclarus ille vir excutiendo codici Laur. „tantum temporis impendere non potuerat, quantum longi ac difficilis res laboris requirebat.“ Imprimis, ut de aliis rebus taceam, id dolendum erat, quod diversorum quas codex expertus est correctorum manus parum accurate distinxerat.

Quare longo temporis spatio intermisso Cobetus et G. Wolfius idem negotium retractaverunt, sed ne illi quidem rem, ut desiderabatur, provecti sunt.

Prioris quidem viri d. operam nonnisi ex quibusdam adnotationibus, quas Nauckius indicibus illis, quibus ad singularum fabularum calcem discrepantes Laurentiani

libri lectiones comprehendit, inseruit, cognitam habemus. Sed quum ipse Nauckius, qui apographon, ut videtur, Cobetianae collationis ab auctore olim cum Schneidewino communicatum possidet, acerbissimis verbis de pretio illius operis judicaverit[1]) jam eo tempore, quo novissima Duebneri collatio nondum ei nota esse poterat, nos quoque nullam amplius ejusdem rationem habuimus.

Ceterum Cobetus is fuit, qui codice Laurentiano utcunque inspecto et cum ceteris codicibus comparato longam illam et difficilem de principatu illius libri quaestionem movit, quum anno 1847. in oratione sua de arte interpretandi hanc sententiam pronuntiaret: „Satis mihi constat, Aeschyli et Sophoclis fabulas, quas habemus, in unico codice, qui nunc in Laurentiana bibliotheca servatur, ad nos pervenisse: ex quo vetustissimo codice profluxit, quidquid codicum manu scriptorum ubique invenitur.“

G. Wolfius vero declaravit quidem, se eam sibi provinciam circumscripsisse, ut, quae ab Elmslejo omissa essent, ipse suppleret, rationem, quae inter singulas manus intercederet, accuratius describeret, ante omnia autem condicionem scholiorum et glossarum clarius perspiceret. Sed parum liberali modo minimam tantum collationis suae partem publicavit ille vir, sed sufficientem, ex qua ad reliquam conclusionem facere possimus. Deposuit enim, quae animadvertisse sibi videbatur, partim in Mus. rhen. vol. IX., ubi praeterea collationem unius fabulae, Oedipi Regis, addidit, partim in editionibus suis Ajacis et Electrae fabularum annis 1858. et 1863. im-

1) Cf. Nauckius in epilogo ad Elect. ed. III Weidm. 1858.

pressis, ubi tamen rarissime occurrunt, quae antea non jam cognita fuerint.

Omnino ille homo doctus multo majorem attentionem scholiis, de quibus egit in libro suo „de Scholiorum Laurentianorum auctoritate“ inscripto, attribuisse videtur quam textui aut singulis correctorum manibus.[1])

Nam hoc ipsum, quod imprimis dilucidum reddere se studuisse affirmat, ut diversas, quas codex expertus est, manus accuratius discerneret, minime ei contigisse apparebit, si illius collationem cum novissima Duebneri comparaverimus. Ad quam jam transeamus.

Adductus enim iisdem fere rationibus, quibus Wolfium demonstravimus, novissimo tempore Frid. Duebnerus in usum Dindorfii Laurentianum quam accuratissime ne minimis quidem rebus neglectis excussit eo eventu, ut Dindorfio dicere liceret: .,post quem (sc. Duebnerum) si qui eundem laborem suscipient, etsi de literis paene evanidis fortasse passim alia quam Duebnerus conjicere vel leves nonnullos librarii errores iis, quos Duebnerus annotavit, addere poterunt, tamen vix quidquam prolaturos esse confido, ex quo aliqua ad verba poetae emendanda utilitas redundare possit.

Collationem vero integram G. Dindorfius in ed. Oxon. III. recepit, ut tandem aliquando, ut ait, omnibus certum judicium de codice illo pateret.

---

1) Cf. etiam Wolfius in praefat. ad Ajacem, ubi dicit, „in constituendo textu se, quantum potuisset, Laurentiani cod. vestigia expressisse; hunc enim se partim ipsum contulisse, partim collatione illa Cobeti a Nauckio sibi communicata uti potuisse, ita ut ne ipse quidem suae collationi satis confisus esse videatur.

Quae quum ita sint, praesertim vero quum nec Cobetum nec Wolfium sententiis illis, quas Dindorfius ante hos septem annos de codice Laur., imprimis de ratione, quae inter singulas manus intercedat, promulgavit, usquam contradixisse compertum habeamus, nihil aliud restat nisi ut unicae quae in Dindorfii ed. Oxon. III. exstat collationi Laurentiani fidem habeamus.

Jam vero exponemus, quae de ratione, qua singuli Laurentiani libri correctores se exceperint, dicenda sint.

De manu prima jam supra[1]) nonnulla commemorata sunt; adjicimus sententiam Dindorfii, qui censet, „librarium ipsum quum statim in scribendo tum toto opere perfecto apographon suum iterum cum archetypo contulisse.[2]) Scribam re vera jam inter scribendum quaedam a se falso scripta mutasse et emendasse, non est, quod amplius probari necesse sit, quippe quod ubique usu veniat. Sed cur demum toto codice exarato, nec vero singulis vel paginis vel fabulis absolutis, ut nos quidem credimus, id factum esse accipiendum sit, Dindorfius nobis non persuasit. Quomodo enim viginti illi versus a librario primum omissi, sed ab eodem posterius additi id probare possint, equidem assequi non possum. Alias vero causas Dindorfius non affert et ne nos quidem talia indicia invenimus, quibus sententia illius confirmaretur.[3]) Videbimus autem infra, hanc rem

1) Cf. pag. .

2) Cf. Dindorf. in ed. Oxon. III. praef. vol. I. p. 4.

3) Indicium certum, quod pro Dindorfii sententia faceret, contineret adnotatio critica ad Oed. Col. vers. 69.: „Hic versus in margine additus ab eadem, ut videtur, manu, etsi atramento alio," nisi vis hujus loci voce „videtur" valde infringeretur.

Eadem res est in v. 90. ejusdem fabulae.

non tam levis momenti esse quam esse videatur. Ne id quidem plane probari potest, archetypon, nec vero alium quendam librum fuisse, quocum librarius opus suum contulerit. Nam versus illi suppleti per se id non demonstrant,[1]) sed rem ita esse colligi potest ex corrigendi ratione, qua prima manus omnino in opere suo usus est. Nam verum est, quod Dindorfius alio loco[2]) dicit, librarium tantummodo scribendi vitia, quae commiserat plurima, correxisse rarissime admixtis suis ipsius conjecturis, in quibus ultra levissimas mutationes nusquam processit. Consentaneum vero est, prorsus alias et vehementiores mutationes in textum ab librario illatas fuisse, si non cum archetypo, sed cum alio quodam libro manuscripto quamvis illi simillimo apographon suum contulisset. Unde non minus rectum esse sequitur, iis, quae ab illa manu sive statim inter scribendum sive collatione denuo instituta correcta sint, majorem auctoritatem tribuendam esse, quam quae primo scripserit. —

Post hunc librarium, sed eodem (XI.) saeculo homo exstitit, qui non solum scholia graeca marginibus Sophoclis et Aeschyli adscripsit, sed etiam has quattuordecim tragoedias totas modo recte modo secus correxit. Est igitur manus, quae, si ordinem spectamus, proprie „secunda“ nominanda est, quam tamen Dindorfius nomine διορθωτοῦ appellavit, in adnotatione critica vero,

---

1) Ut tamen parum argute Antonius Seiffert censuit in „Quaestiones criticae de codicibus Sophoclis recte aestimandis.“ Dissertatio inauguralis Halensis d. a. 1863.

2) Cf. Dind. ed. Oxon. III. vol. I. p. IV i.

quoniam scholia quoque scripserat, plerumque litera S. signavit.

Quis hic homo fuerit, non magis scimus quam nomen librarii et quum ipse se nusquam nominaverit, inane foret negotium, de persona illius amplius quaerere vel conjecturas facere. Majoris autem momenti laborem ejusdem fuisse quam ceterorum correctorum, jam inde apparet, quod scholia scripsit. Accedit, quod primus, paullo post ipsum librarium codicem adiisse et in eo corrigendo continuam quandam et insignem industriam posuisse videtur, id quod de ceteris codicis correctoribus vix potest affirmari. Placet vero, quoniam omnis disputatio de auctoritate huius manus futura est, hoc loco id tantum addere, scripturae formam, qua ille usus est, in scholiis majuscularum esse, contra in adnotationibus sive correctionibus, quibuscum nobis maxime res erit, minuscularum, ita tamen, ut etiam inter has haud raro singulae majusculae intercurrant. Ceterum a Dindorfio in adnotatione critica persaepe in ambiguo ponitur, utrum a manu pr. an sec. aliquid scriptum sit et id quidem non solum in levibus paucarum literarum mutationibus, sed etiam in totis versibus omissis sed postea suppletis: ex quo colligi potest, scripturam manus sec. omnino iis, quae a manu pr. scripta sunt, simillimam esse. [1])

---

1) Ita explicatur error a Wolfio commissus, quum scholia non a secunda sed a prima manu, quae talia nusquam scripsit, addita esse existimaret et minimam tantum partem eorum alii manui adscriberet. cf. Wolf. in Mus. rhen. IX, p. 119 s. Idem valet de H. Keilio. cf. Ritschl praef. ad Aeschyl. Septem p. VI.

Post diorthotam tres alii homines in codice Laur. versati sunt, quos Duebnerus quidem saeculis duobus proximis vixisse putat Lectiones tamen, quae illis debentur, Dindorfius in adnotatione critica, quum nec distingui ubique possint nec si possent, ullius momenti foret, in universum uno „antiquarum manuum“ nomine comprehendit atque tali modo signare solet. Judicat autem de illis correctoribus, correctiones eorum ita omnes comparatas esse, ut neque archetypum codicis exemplar neque omnino libros antiquiores ab iis inspectos esse, sed omnia conjecturis modo veris modo falsis deberi pateat.

Post hos tres antiquos correctores Dindorfius loquitur de „recentibus aliquot“ librariis sive lectoribus, qui inde ab saec. XIV. usque ad saec. XVI. sive mutationes sive adnotationes in Laurentianum intulerunt; sed ne hos quidem ubique distinxit, sed pro re nata modo manum „recentem“ modo „recentiorem“ modo „recentissimam“ appellavit.

Videmus igitur Duebnerum, ut minimum numerum sumamus, septem vel octo manus utcunque inter se diversas in cod. L. observasse, quarum priores duas (librarii et diorthotae) saeculi XI., quae sequuntur tres (antiquae) saeculi XII. et XIII., reliquas „aliquot“ (recentes) saec. XIV.—XVI. esse existimat.[1])

1) Ineptias de hac tota re protulit Antonius Seiffertius, qui, quamquam disputatione sua „de codicibus Sophoclis recte aestimandis“ controversiam illam de codicum Sophocleorum vera origine „aliquanto longius promovisse et propius ad exitum adduxisse“ sibi visus est, ne Dindorfii quidem verba recte intellexit, quem tamen virum

De auctoritate vero omnium illarum manuum ad emendandum Sophoclem Dindorfius quidem judicat, eam apud antiquas atque recentes esse nullam; nam manifestius etiam, quam apud antiquas sit, recentium manuum correctiones paucas conjecturis correctorum deberi, plerasque ex interpolatis codicis Laurentiani apographis haustas esse certissimum haberi posse censet. Prorsus aliam et fere contrariam sententiam ante hos tres annos protulit Joh. Kvicala,[1]) qui non solum correctiones secundae, sed etiam tertiae, quartae, quintae

---

inconstantiae accusare alio loco minime dubitavit. Dicit enim Seiffertius in dissertatione sua inaugurali supra laudata haec: „Discernuntur autem a Duebnero plerumque *quattuor* manus: manus *prima* sive *antiqua*, deinde *secunda* sive *altera*, tum *recentior*, nonnunquam denique manus *recentissima*.“ Haec omnia prorsus falsa sunt. Primum enim unusquisque, qui adnotationes criticas Dindorfii accurate perlustraverit, statim cognoscet, manum primam et magnum antiquam minime esse eandem. Paucis exemplis id demonstrare volumus.

1. In Electr. fab. v. 525. Dindorfius in textum recepit σοι], adnotavit: Laur. τοι *pr.* sed in σοι mutatum *ab eadem.*
2. contra v. 528. in textu legimus: νιν εἶλε κοὐκ adnotatum est a Dind. Laur. μιν εἶλεν κοὐκ *pr.*, sed correctum a *manu antiqua*
3. itemque adnotat. ad Oed. Reg. v. 935. παρὰ a manu antiqua ita est radendo in πρὸς mutatum, ut id a prima manu scriptum videri possit, quod fraudem fecit Elmslejo.

Vides igitur, quid judicandum sit de exemplis illis, quae Seiffertius l. l. p. 5. attulit ad illustrandam librarii corrigendi rationem, in quo numero compluria sunt, quae non librario sed manui cuidam saeculi XII. vel XIII. attribuenda sunt. Cf., quae Seiffertius ille in detegendo vero fonte codicum Sophoclis occupatus de diversis Laurentiani manibus refert l. l. p. 6.

1) Cf. *J. Kvicala, Beiträge zur Kritik u. Erklärung des Sophocles. Wien* 1864 p. 10 sqq.

cet. manus, exceptis tantum iis, quae post editionem Aldinam in cod. illatae sint, non esse meras conjecturas contendit, sed emendationes, quae optimo nitantur fundamento diplomatico ideoque ad emendandum Sophoclem haud contemnendi momenti sint. Operae pretium igitur esse nobis videbatur, si hanc totam de auctoritate diversarum Laurentiani manuum pro tempore et viribus nostris retractaremus, licet id tantum ex hoc labore emolumentum reportaturi essemus, ut in posterum nostro judicio in hac re uti possemus. Ante omnia autem opus nobis visum est quaerere de auctoritate illius correctoris, quem Dindorfius tam singulari modo in Laurentiano versatum esse contendit, ut nomine διορθωτοῦ eum appellaret et quasi honoraret.

Ad hanc quaestionem tuto instituendam necessarium est earum tantum rerum rationem habere, quas manui diorthotae deberi Dindorfius sive Duebnerus pro certo affirmat. Prorsus igitur excludenda sunt a consideratione nostra omnia, quorum origo voce „videtur“ et id genus aliis additis in dubio relinquitur. Nam in talibus rebus conjectura aliquid efficere velle, ut Seiffertius nonnunquam l. l. tentavit, absurdum esse nobis videtur. Restat praeterea illorum locorum, quorum origo extra omnem dubitationem posita est, tanta multitudo, ut ex iis satis superque de indole atque natura illius judicium haurire possimus. Sunt enim plus quam ducentae quinquaginta correctiones, quas Dindorfius diorthotae, quem vocat, attribuit, quarumque plus quam centum quinquaginta ut necessarias et probabiles in textum recepit, quamquam, ne nimiam de illo correctore antiquo opinionem injiciamus, jam hic dicendum est,

longe majorem illarum emendationum partem ita comparatam esse, ut levissimis mendis promptissima medela ab eo illata sit.

Sed nobis quidem in ea re, quas quotve diorthotae correctiones Dindorfius vel alius vir doctus probaverit sive non probaverit, non acquiescendum erit, id maxime agitur, ut perspiciamus, quo jure id unoquoque loco factum sit vel potius, si fieri poterit, quo nomine sive argumento artis criticae praescriptis adstricto omnes illius hominis lectiones in Sophocle emendando sive recipiendae sive detrectandae sint. Nam aliud nobis praecipit ars critica, quum res nobis est cum conjecturis virorum doctorum sive indoctorum, aliud quum agitur de lectionibus, quae ex optimis fortasse manuscriptis derivatae sunt. Primum igitur exponendum erit, quas regulas ars critica apud Sophoclem nos sequi jubeat.

Supremam in constituenda uniuscujusque auctoris scriptura auctoritatem esse archetypi aut, si illud periit, ejus libri, qui proxime ad fidem archetypi accedat, consentaneum est. Summa igitur lex etiam apud Sophoclem haec est: ubique primum eum codicem audiendum esse, quem optimum omnium esse pro explorato habemus atque lectiones ejusdem omnibus locis, ne exceptis quidem iis, ubi alii codices talia praebent, quae non solum per se ferri possint sed etiam specie quadam se commendent, pro unice veris esse habendas, nisi certissimis argumentis contrarium possit demonstrari.

Nunc vero omnium rei peritorum testimoniis constat, talem codicem apud Sophoclem esse Laurentianum eumque ceteros omnes et aetate et fide longe superare. Quare, quantumvis licet uni censuerint, tantum abesse,

ut Laurentianus communis ceterorum omnium codicum fons sit, ut ne id quidem exemplar, ex quo Laurentianus saec. XI. descriptus sit, archetypon fuisse verisimile sit (sic Lipsius „de Sophoclis emendandi praesidiis.“ Lipsiae 1860.), alteri, ex uno Laurentiano ceteros omnes codices esse oriundos (sic censuerunt Cobetus et Dindorfius), tertii denique, ex eodem atque Laurentianum fonte reliquos codd. esse derivatos, — dico, in tanta de archetypo Sophocleo sententiarum diversitate tamen omnibus, quorum quidem sanum moderatumque judicium est, de hac re dudum convenit, Laurentianum, ubicunque fieri possit, sequendum neque sine justa causa ab illius vestigiis aberrandum esse. Sane res apud Sophoclem ita comparata est, ut in constituenda hujus poetae scriptura non quaelibet Laurentiani lectio recipi possit, immo persaepe usu venit, ut unus ex aliis codicibus rectiorem vel unice veram praebeat lectionem. Sic ipse Dindorfius, quamvis id sibi certissime persuasisset, ex Laurentiano ceteros omnes codices derivatos esse, circiter quingentis quinquaginta locis lectiones recepit, quae non in Laurentiano, sed in hoc vel illo alio codice inveniuntur. Quod tamen minime Dindorfio inconstantiae vertendum est, ut inconsiderate Seiffertius judicavit. Ubicunque enim Dindorfius lectiones aliorum codicum recepit, id non fecit ideo, quod codices eas praebebant, sed quod judicavit, Laurentiani corruptelas haud raro hodie etiam eodem modo esse sanandas, atque id, nescimus ante quot saecula, jam ab aliis correctoribus factum esset. Omnino vero, quod attinet ad hanc totam de origine codicum Sophocleorum quaestione, quam supra tetigimus, eum solum in hac re satis certo

judicare posse censemus, qui non solum omnes Sophoclis codices quam accuratissime examinaverit, sed etiam indolem atque captum Byzantinorum correctorum sive grammaticorum saeculorum X.—XII. satis cognita et perspecta habeat. Nam huc tota res apud Sophoclem redire videtur, quum non simili modo atque id apud ex. g. Lysiam, Tacitum, alios factum videmus, possit decerni. Jam vero Dindorfius, doctissimus illorum temporum existimator, nobis affirmat, quingentorum illorum locorum correctiones ita omnes esse comparatas, ut captum correctorum, qui proximis post librarium codicis Laur. saeculis vixerunt, nusquam excedant[1]) et re vera Dindorfio concedendum est, quum emendationes illas omnes levioribus adnumerandas, tum gravioribus Laurentiani corruptelis medelam afferre ne periculum quidem ab illis hominibus factum esse.

Sed quorsum haec omnia disputamus? Primum, ut doceamus, quum tanta verisimilitudo adsit, esse revera Laurentianum communem ceterorum codicum fontem (nam probari et demonstrari nec Dindorfii nec contraria quaelibet sententia potest), id nobis unice rectum videri, ut cautione adhibita Laurentianum pro archetypo certe sumamus, de ceteris vero omnibus codi-

1) Cf. Dindorfius l. l. vol. I. praef. p. XIII sqq., ubi dicit: Quod verissime ab me dici similium in aliis scriptoribus exemplorum plurimorum comparatio docet, velut codicis Marciani Athenaei, cujus in apographis emendationes vitiorum plurimae inter easque non paucae aliquanto quam Sophocleae acutius excogitatae reperiuntur, licet earum auctoribus nullis praeter codicem Marcianum libris uti licuerit, de quo hodie ita constat, ut ab nemine, qui mentis compos sit, in dubitationem vocari possit.

cibus, quippe quorum origo serior fidesque suspecta sit, id statuamus: *„de omnibus iis, quae aliter illi atque Laurentianus habeant, eodem modo esse judicandum atque de conjecturis hominum doctorum.“*

Tum vero sequitur, idem dicendum esse de correctoribus Laurentiani, nisi forte certissimis effici possit indiciis, ut aliis illi homines et antiquioribus Laurentiano libris usi sint: ex quo pendebit, utrum lectionibus diorthotae auctoritas quaedam major adscribenda sit necne. Quod quum non poterit ostendi, id tantum reliquum manet, ut demonstremus, quatenus felix vel argutus doctusque ille corrector fuerit. Ad hunc finem opus erit, omnia, quae de diorthota apud Dindorfium, unicum nostrum fontem, relata invenimus, accurate perpendere, lectiones omnes, quae correctori illi adscribuntur, examinare et cum illis Laurentiani codicis comparare, ut judicare possimus unde eas correctiones derivatas esse putandum sit.

Dicit igitur Dindorfius, correctorem illum grammaticum fuisse, qui, ut jam supra commemoravimus, scholia marginibus Sophoclis et Aeschyli adscripserit, praeterea vero duobus illis poetis eandem operam praestiterit, quum quattuordecim has tragoedias non solum cum archetypo rursus conferret — (de quo, inquit D., omnem dubitationem eximunt versus plures et Sophoclis et Aeschyli a primo librario omissi sed ab διορθωτῇ in margine adjecti —) sed etiam plurima scribendi vitia corrigeret. Nos addimus, S. (sic placet cum Dindorfio diorthotam significare) hoc corrigendi negotio ita esse defunctum, ut correctiones suas modo litura facta textui inferret, modo inter versus vel in margine

alteras lectiones adnotaret, nonnunquam etiam inter media scholia, et tum quidem fere semper sigla γρ. vel καὶ γρ. addita, ipso vero textu intacto relicto. Ceterum ipse Dindorfius concedit, permulta inter ea, quae S. scripserit, non archetypo deberi, sed aut ipsius diorthotae aut aliorum grammaticorum conjecturis et iis quidem saepe inutilibus et valde inconsideratis. Quum vero Dindorfius nusquam distinxerit ea, quae diorthotam ex archetypo i. e. eo libro, ex quo Laurentianus descriptus erat, sumpsisse existimat ab iis, quae aliunde eum hausisse censet, sequitur, a nobis archetypon illud interim prorsus esse mittendum et ubique id tenendum: „majorem fidem quam diorthotae habendam esse primae manui ejusque correctionibus, quippe quam anxie quodammodo archetypi vestigia pressisse, certissime constet, de qua quidem re apud diorthotam dubitare certe liceat.“

Praeterea vero nobis visum est, de variis illis modis, quibus diorthota in codice versatus est, separatim agere, ita, ut primum de scholiis, quae scripsit, loquamur, deinde de versibus, quos supplevit, tum de correctionibus, quo nomine ea omnia comprehendimus, quae ipsi textui intulit, postremo de variis lectionibus, quas cum sigla illa γρ. sive καὶ γρ. in codice adnotavit.

§. 1. De scholiis breves esse possumus, quamquam jam inde ad rem, quam hic tractamus, plura eaque haud immemorabilia colligi possunt. Sententia enim Dindorfii de ratione, quae ipsi diorthotae cum scholiis intercedat, haec est, „diorthotam scholia non ex archetypo sed ex alio quodam exemplari, in quo scholia for-

tasse separatim scripta fuissent, descripsisse suisque correctionibus interpolasse.“

De priore hujus sententiae parte, dico de origine atque progenie scholiorum illorum, inferiore loco disputationis nostrae plura dicenda erunt; alteram, quum ipsi de ea re nondum judicare possimus, Dindorfio facile concedimus.

Id vero testimoniis praeclarissimorum virorum,[1]) qui studia sua in scholia Sophoclis contulerunt, constare videmus, longe majorem illorum scholiorum partem e commentariis Alexandrinorum grammaticorum, imprimis Didymi, depromptam esse, aliam contra Byzantinis esse adscribendam, qui tamen partim aetate diorthotam longe antecedebant. Est autem res notissima, persaepe vetera scholia talia continere, quae ad emendandos antiquos scriptores vel maxime faciant. Neque minus pro certo haberi potest, Laurentianum non ante eam aetatem scriptum esse, qua composita esse illa scholia videntur. Apparet igitur, jam hac de causa ea, quae diorthota scripsit, in emendando Sophocle non posse negligi, quum sive scholia ex exemplari quodam duxerit, quod praeter scholia nihil continebat, sive ex antiquiore codice Sophocleo nunc perdito, id dubitari non liceat, quin antiquiore fonte, quam ipse Laurentianus est, in restituendo Sophoclis textu uti certe potuerit.

Tum vero id quoque ex scholiis colligere possumus, diorthotam non fuisse librarium omni doctrina prorsus destitutum, sed virum, quem quominus grammaticum ap-

---

1) Imprimis G. Wolfii in Commentat. de scholiorum Laurentianorum auctoritate. Lipsiae 1843.

pellemus, nihil impedit; certe nos quidem nón audivimus, illis temporibus, quibus diorthota vixisse videtur (saec. X. vel XI.) alios homines nisi grammaticos iis omnibus rebus, quibus ille defunctus est, veteribus scholiis modo dilatandis modo excerpendis modo corrigendis operam navasse.[1])

Haec ea sunt, quae ex scholiis ad diorthotam colligere possumus. Nam de lectionibus illis, quas plerumque cum sigla γρ. inter scholia adnotatas reperimus, postea dicendum erit. Eas autem lectiones, quas vetera scholia ab diorthota non excogitata sed modo descripta ad emendandum Sophoclem passim afferunt, quas tamen diorthota aut neglexit aut, quod verisimilius est, ne animadvertit quidem, hic praeterire possumus, quum talia videlicet non diorthotae nostro sed grammaticis Alexandrinis vel Byzantinis laudi danda sint.[2]) In ea autem scholiorum parte, quam ipse diorthota de suo fortasse addidit, tales veras rectasque lectiones inesse, quibus vitia Laurentiani sanari possint, vix credibile est. Nam quum animadvertamus, diorthotam alias, ubicunque lectionem aliquam ab Laurentiano diversam invenerat, eam undecunque haustam textui aut inferre aut adscribere, omnino credere non possumus, illum hominem alicubi lectiones alias et eas meliores, quam Laurentianus praebebat, inter scholia ita occultasse, ut lectores sui (eodem fere modo, quo hodierni philologi

1) cf. G. Wolfius l. l. vel G. Dindorfius in Schol. in Soph. tragoed. septem vol. II. praef.

2) cf. index horum locorum in Dind. ad Oxon. III. praef. vol. I. p. XV.

ex ipsis veterum scholiastarum interpretationibus atque verbis divinare solent, quomodo hic vel ille scriptoris veteris locus, qui in libris aetate scholiis illis minoribus corruptus exstat, illorum tempore lectus fuerit) illas ex scholiis adscriptis ratiocinando et concludendo quodammodo elicerent.

Transimus igitur ad alia.

§. 2. De versibus, quos a librario omissos diorthota supplevit.

Jam supra [1]) breviter significavimus, Dindorfii esse sententiam, diorthotam tragoedias cum archetypo contulisse, de quo omnem dubitationem eximant versus plures et Sophoclis et Aeschyli a primo librario omissi sed ab διορθωτῆ in margine adjecti.

Versus illi, quos ab diorthota commentos esse hucusque contendere nemo ausus est, hi sunt quinque:

1) Oed. Reg. v. 1104 [2]): ἀνάσσων εἶθ' ὁ βακχεῖος θεός
2) Elect. v. 1007: οὐ γὰρ θανεῖν ἔχθιστον, ἀλλ' ὅταν
θανεῖν
3) Elect. v. 993: ἐτύγχαν' αὕτη μὴ κακῶν, ἐσῴζετ' ἂν
4) Trach. v. 445: ὥστ' εἴ τι τἀμοῦ τ' ἀνδρὶ τῇδε τῇ
νόσῳ
5) Trach. v. 536: κόρην γὰρ, οἶμαι δ' οὐκέτ', ἀλλ' ἐζευγ-
μένην.

Apparet, sententiam Dindorfii, si hac una re niteretur, parum firmari, quoniam versus illos ab S. suppletos aeque bene ex alio quodam libro atque ex Laurentiani archetypo proferri potuisse manifestum est.

1) cf. pag. 19.

2) Versuum numeros desumpsi ex editione tertia G. Dindorfii Oxon. a. 1860.

Monuit igitur jam Nauckius [1]), illo argumento nihil probari. Quum autem hic vir doctissimus, postquam recte dixit, miri aliquid habere, si cum Dindorfio accipiatur, librarium non semel sed bis archetypon inspexisse, bis igitur versus illos ab illo etiam neglectos esse, ita pergit: „*So viel ich sehe, steht jedoch nichts der ansicht entgegen, dass S. seine nachträge aus einer anderen Hs. zog, als die dem schreiber vorliegende war: dann erklärt es sich noch einfacher, wie es zugeht, dass im Laur. mindestens fünf verse stehn, die nicht von erster hand, sondern von S. herrühren,*“ haec si recte video, ita tantum intelligi possunt, ut Nauckius existimet versus illos in eo exemplari, quo librarius utebatur, omnino non fuisse. Tum vero ipse sibi non satis constat vir doctissimus, quippe qui paullo ante omissiones illas a librario factas compluribus exemplis optime explicuerit excusaveritque. Nam non solum inter illos versus, quos librarius ipse supplevit inveniuntur, qui quomodo factum sit, ut omitterentur, facillime explicari possit, (sic Trach. 177. et Philoct. 1263., qui versus fuerunt ultimi paginarum, sive Antig. 68.

Ismene: τὸ γὰρ περισσὰ πράσσειν [οὐκ ἔχει νοῦν
οὐδένα

Ant. οὔτ' ἂν κελεύσαιμ' οὔτ' ἄν, εἰ θέλοις ἔτι πράσσειν] ἐμοῦ γ' ἂν ἡδέως δρώης μέτα,

ubi verba, quae uncis inclusimus primo omissa erant, quum oculi scribae a priore πράσσειν statim ad alterum aberravissent) sed etiam inter quinque illos, quos

1) cf. Nauckius in Nov. annal. vol. 85. p. 161.

ab diorthota additos supra adduximus, tales sunt. Sic 1) Electr. v. 1006.:

βάξιν καλὴν λαβόντε δυσκλεῶς θανεῖν.
οὐ γὰρ θανεῖν ἔχθιστον, ἀλλ' ὅταν θανεῖν

praecedens versus in vocem θανεῖν exiens sine dubio causa fuit, cur alter eodem illo vocabulo finiens omitteretur.

2) Oed. Reg. 1104. εἶθ' ὁ Κυλλάνας [ἀνάσσων εἶθ' ὁ (ναίων) Βακχεῖος θεὸς] ἀνάσσων

ubi inclusa verba ab S. inter versus addita et alterum ἀνάσσων radendo recte in ναίων mutatum est, quum vox ἀνάσσων voci ναίων simillima librarium fefellisset. Sin autem credimus in exemplari librarii i. e. in archetypo versus illos exstitisse, non rectum est, si dicimus, facilius ex alio exemplari atque ex archetypo eos suppleri potuisse.

Jam vero, quod attinet ad miram illam librarii negligentiam, ea alio modo satis facile explicatur, dummodo non cum Dindorfio statuerimus, librarium demum „toto opere absoluto" apographon suum cum archetypo contulisse. Quid enim est hoc „totum librarii opus"? Constat, si verum quaerimus, septem tragoediis Sophoclis et 705. versibus Aeschyli Persarum. Quis autem crediderit librarium, qui idem etiam in Aeschyli Persis versus nonnullos supplevisse, alios correxisse dicitur, in septingentesimo quinto Persarum versu subito destitisse scribendo, sed priusquam succedenti librario locum daret, omnia, quae scripserat, iterum accurate perlustrasse et tum demum perficienda collegae tradidisse. Nescimus, qua ratione Dindorfius in miram talem sententiam co-

actus sit. Multo melius igitur res illa expediri nobis videtur, si statuimus, librarium omnino passim tantum et inter scribendum correxisse neque vero ita, ut scribendo indefessus ratione quadam et industria totum opus (quod quale sit supra commemoravimus) cum archetypo compararet. Quod si fecisset, sine dubio etiam permulta alia menda, imprimis, quae prorsus sine sensu scripserat, correxisset. Nam quantumvis licet stolidus indoctusque ille homo fuerit, homo graecus fuit neque tales ineptias, si iterum, quae scripserat, legisset, silentio praeterire potuit, quale insanum illud in primis Oed. Reg. versibus: τίνας ποθ' ἕδρας τὰς δέμοι θοάζετε; et alia id genus.

Disputavimus autem haec omnia non ideo, quod nobis quoque jam persuasum esset, archetypo diorthotam usum esse, sed primum, quod sententia nostra de librario illo jam per se multo probabilior et ex natura rei esse videbatur, quam illa Dindorfii, tum vero, quod exemplo quodam luculento rationem illam Dindorfii illustrare voluimus, qua haud raro argumentis nullis additis ponit, quae vel maxime causis certis probanda et stabilienda erant.

Id vero, quod certissime versibus illis ab S. suppletis efficitur, hoc est, *diorthotam, si non ipsum Laurentiani archetypon, tamen alterum quendam codicem ab Laurentiano diversum et habuisse et inspexisse.*

Restat, ut de uno illorum versuum, Elect. 1007., pauca exponamus, quum dubitationem aliquam de fide diorthotae movere possit, quod ille versus a Nauckio, quem alii secuti sunt, si non ipsi Sophocli, tamen loco, quo exstat, abjudicatur. Sed, priusquam ad rem ipsam

accedamus, monendum videtur, si quid illo loco peccatum sit, in diorthotam certe ejus delicti culpam non posse conferri. Nam, si quid delendum est, non unus ille ab diorthota suppletus versus, sed etiam insequens, quocum arctissime ille cohaeret, una cum illo delendus est. Apparet igitur, illum versum ab diorthota non esse commentum.

Sed nos quidem persuadere nobis omnino non potuimus, argumenta, quae contra illos versus afferuntur a Nauckio, Dindorfio, aliis sufficere ad illos ejiciendos, quamquam bene scimus, persaepe etiam apud Sophoclem antiquitus spurios versus irrepsisse. Ut demonstremus, quid rei sit, totum locum nos exscribere oportebit. Dicit Chrysothemis v. 1005 sqq. ad Electram conversa:

λύει γὰρ ἡμᾶς οὐδὲν οὐδ' ἐπωφελεῖ
βάξιν καλὴν λαβόντε δυσκλεῶς θανεῖν.
οὐ γὰρ θανεῖν ἔχθιστον, ἀλλ' ὅταν θανεῖν
χρήζων τις εἶτα μηδὲ τοῦτ' ἔχῃ λαβεῖν.

Dicunt autem adversarii hujus loci, imprimis auctor sententiae, Nauckius,[1]) versus 1007 et 8. „locum communem" continere, qui nec in orationis nexum nec ad mores Chrysothemidis quadret, quum talem, ut ait, „heroismum" verba illa redoleant, qualis ab ingenio illius feminae prorsus alienus sit. Dindorfius vero addit,[2]) non mortem sibi denegatam expetere Chrysothemidem, sed vereri eam, ne sibi moriendum sit turpi poena affectae. Contra haec Spengelius rectissime monuisse no-

1) Cf. Nauckius ad loc. in ed. Electr. III et IV. Weidm.
2) Cf. Dindorfius ad loc. in ed. Oxon. III. 1860.

bis videtur, haec verba: οὐ γὰρ θανεῖν ἔχθιστον cett. ad antecedentia illa referenda esse, quibus (vv. 379—82.) Chrysothemis Electram certiorem faciat, ab Aegistho et Clytaemnestra id consilii agi, ut Electram vivam carceri includant; dicit enim illo loco:

μέλλουσι γάρ σ', εἰ τῶνδε μὴ λήξεις γόων,
ἐνταῦθα πέμψειν, ἔνθα μή ποθ' ἡλίου
φέγγος προσόψει, ζῶσα δ' ἐν κατηρεφεῖ,
στέγῃ χθονὸς τῆσδ' ἔκτος ὑμνήσεις κακά.

quem quidem carcerem Chrysothemidi per totam orationem ante oculos versari ipse Dindorfius concedit, quum in praef. novissimae edit. Teubnerianae (prodiit Lipsiae 1863.) pag. XVIII. verbis suis: „turpi poena affectae" addit, „quam Electrae imminere dixerat v. 379. Si jam ea, quae Chrys. loquitur, in orationem pedestram vertimus, haec fere dicit: „Quomodo tu, soror, sperare omnino potes, nos invalidas puellas viro Aegistho sine nostra pernicie manum illaturas esse; nam

γυνὴ μέν, inquit, οὐδ' ἀνὴρ ἔφυς,
σθένεις δ' ἔλασσον τῶν ἐναντίων χερί.

Ut vero, pergit, de exsequendo tali consilio nullo modo cogitari potest, ita ad eloquendum et mihi et tibi periculosissimum est, quare si mens tibi sana esset, talia ne diceres quidem. Nam

ὅρα κακῶς πράσσοντε μὴ μείζω κακὰ
κτησώμεθ', εἴ τις τοῦσδ' ἀκούσεται λόγους.
λύει γὰρ ἡμᾶς οὐδὲν sqq.

Quid enim fieret, si tale quid disserentes deprehenderemur? Non fortiter pugnantes, ut tu fortasse putas, honorificam mortem obiremus, sed nobis facili negotio superatis turpissima mors parata foret, neque quidquam

nos a misera illa fortuna servaret, quam tibi quidem Aegisthus et Clytaemnestra jam pridem destinaverunt: fame enim pedetentim, carceri inclusae, turpissimo modo moreremur.“ Sic bene explicatur illud enuntiatum:

οὐ γὰρ θανεῖν ἔχθιστον, ἀλλ' ὅταν θανεῖν
χρήζων τις εἶτα μηδὲ τοῦτ' ἔχῃ λαβεῖν.

Quod sensisse videtur Dindorfius, quum in praef. novissimae editionis Lipsiensis pag. XIX. de carcere, qui Electrae et Chrysothemidi imminebat, haec dicit: „quali carceri inclusa Antigona in fabula cognomine mortem sibi consciscit, quod Chrysothemidi quoque facere licebat,“ quae vix serio et ex animo virum doctissimum dixisse crediderim. Nam si poscimus, ut Chrysothemidi in mentem veniat, „tum, si carceri inclusae forent, nihil impedire, quominus ipsae sibi mortem consciscant,“ tum re vera mores illius puellae ejusmodi essent, ut omnem „heroismum“ ab ea exspectare possemus.

Censemus igitur versus illos perbene in locum illum quadrare et minime ejiciendos esse.

Sed jam ad propositum nostrum recedamus.

§. 3 De iis correctionibus, quas diorthota sive litura facta in textum intulit sive inter versus textui superscripsit.

Videbatur nobis discrimen faciendum esse inter eas diorthotae correctiones, quas in ipsum textum intulit et eas, quas dum textum intactum relinquebat, in margine vel alibi adnotavit, quum facile quis credere possit, illas ab eo pro necessariis esse habitas, has minus. Haec distinctio etiam hac de causa se commendat; quod, si re vera, ut Dindorfius censet, diorthota in corrigendo

Laurentiano archetypon usurpavit, accipiendum erit, illum correctorem iis omnibus locis, quibus Laurentianum pejorem quam archetypon lectionem exhibere invenerat (i. e. ubi librarius manifesto erraverat), non satis habiturum fuisse, diversam illam lectionem adnotare, sed praesentem medelam vulneribus detectis allaturum fuisse. Apparet igitur, in utro genere talia potissimum investiganda sint.

Ac primum quidem de correctionibus, quae proprie appellantur, dicendum erit. Consideratio vero in hac quaestione adhibenda triplex esse debebit: primum enim unoquoque loco quaerendum erit, num mutatio quaedam omnino necessaria sit, deinde utrum correctio diorthotae recte sit necne, tertium denique, unde eam ab illo haustam esse verisimillimum sit. In qua quidem quaestione tractanda ita versabimur, ut ex una fabula Antigonae omnia, quae ab S., ut dicunt, scripta sunt, afferamus, ex ceteris fabulis graviora tantum dare satis habeamus.

Cap. I. Saepissime fit, ut diorthota iis locis, quibus eadem litera bis scribenda a librario semel tantum scripta erat, rectissime alteram addiderit. Exempla ex Antigonae fabula congesta, in quibus omissam sed ab S. suppletam litteram uncis inclusimus, haec sunt:

1) Antig. v. 279. ξύν(ν)οια
2) „ v. 292. ὥσ(σ)τέρ γειν
3) „ v. 471. γέν(ν)ημα
4) „ v. 893. ἐν(ν)εκροῖς
5) „ v. 952. ἄν(ν)ιν

his exemplis alia ex reliquis fabulis desumpta addere liceat:

Oed. Reg. 707. ἀφεὶσ(σ)εαυτὸν
„ 842. ἐν(ν)έπειν
„ 1015. γεν(ν)ητῶν
„ 1510. ξύν(ν)ευσον
Oed. Col. 1595. καταρ(ρ)άκτην
Electr. 241. ξυν(ν)αίομ'
„ 436. κρύψο(ν)νιν
„ 669. τίσ(σ')ἀπέστειλεν βροτῶν
„ 1198. σὺ προὔθηκα(σ) σποδόν

et multa similia, quae afferre longum est. Has correctiones omnes et necessarias et rectissimas esse nemo negabit. Mirum tamen hoc unum, fere semper esse solas litteras ν et σ (rarissime alias velut τ, λ, μ) ut facile quisquam nobiscum inde concludat, errores illos ad maximam partem non librario deberi sed archetypo. In qua opinione ea re firmamur, quod ipsa prima manus similes errores nusquam correxit. Numerus autem illius generis errorum in Laurentiano ita magnus est, ut jure inde colligatur, librarium archetypo literis capitalibus exarato [1]) usum esse, ex cujus natura (quippe quod scripturam continuam distinctione singulorum verborum fere nusquam facta praebuerit itaque librarium, praesertim tam negligentem indoctumque, qualem illum Laurentiani cognitum habemus, facile in errorem ducere potuerit) illa menda facillime explicantur. Quodsi verum est, hoc alterum sequitur, diorthotam illos locos

1) Quapropter etiam mutationes quaedam literarum in Laur. persaepe occurrunt, ut α et λ et δ, ει et η, ω et ο, κ et μ.

non ex archetypo corrigere potuisse. Sed credo ad ista levissima menda et detegenda et corrigenda libro quodam manuscripto diorthotae omnino non opus fuisse.

Gravioris vero momenti hoc est, quod, si accuratius Laurentiani lectiones perlustraverimus, inveniemus, diorthotam illorum vitiorum longe minimam partem correxisse, quo factum est, ut alia a serioribus demum correctoribus, alia omnino nunquam corrigerentur, sed hodie, sicut ab initio scripta erant, in cod. legantur. Id imprimis de scriptura unius verbi λεύσσειν dicendum est, quod fere constanter uno σ scriptum invenitur et *uno* tantum loco ab S. correctum est.

Idem fit apud praepositionem πρός, sive pronomen personale secundae personae sequitur sive alia vox litera σ incipiens Sic Oed. Reg. 746. a prima manu habuerat πρός (σ') ἀποσκοποῦσα ἱκέτις, itemque v. 919. πρὸ(σ) σ' ὦ Λύκει' Ἄπολλον — ἀφῖγμαι; quin etiam πρὸ(σ)σῇ δυσδαίμονε μοίρᾳ v. 1302 ejusdem fabulae legebatur. Illis quidem tribus locis S. literam σ a nobis uncis inclusam recte supplevit, dum multo pluribus locis similes errores minime respiciebat. Quae quidem incuria diorthotae tanta fuit, ut ne animadverteret quidem, librarium innumeris locis tota vocabula falso et prorsus sine sensu conjunxisse sive diremisse. Demonstrare id volumus exemplis quibusdam ex una Oedip. Reg. fabula desumptis, quae eadem scripturam archetypi manifestam faciunt: scripserat librarius:

Oed. R. 1289. μὴ προσαυδῶν pro μητρὸς αὐδῶν
„ 602. μεγάλου pro μετ' ἄλλου
„ 1114. ἀλλ' ὡσετούς pro ἄλλως τε τοὺς
„ 516. προστεμοῦ pro πρός τί μου

Oed. R. 708. ἔμ' οὐ 'πάκουσον pro ἐμοῦ 'πάκουσον
„ 1040. ἀλλ' ἀποιμὴν pro ἀλλὰ ποιμὴν
„ 77. ἀνείην pro ἂν εἴην
„ 287. οὐκεναργῶς pro οὐκ ἐν ἀργοῖς
„ 644. εἶς ἔτι pro εἴ σέ τι
„ 648. πάρεισ' ἴσοι pro πάρεισί σοι
„ 463. ἡδεπεραι pro εἶπε πέτρα
„ 667. τὰ προσφῶϊν pro τὰ πρὸς σφῷν,

quem numerum mirum in modum augere possimus.

Jam hic igitur in eam sententiam cogimur, correctorem illum Laurentiani immerito διορθωτήν a Dindorfio appellatum esse, quum negligentissime hoc corrigendi negotio perfunctus sit minimeque talem Laurentiano operam praestiterit, qualem jure ab illius generis hominibus exspectare possimus.

Cap. II. Haud raro S. varias literas vel syllabas a librario omissas rectissime addidit.

6) Antig. v. 85. κρυφῇ δὲ κεῦθε, σὺ(ν) δ' αὕτως ἔγώ. ν ab S. itemque omnia, quae uncis infra inclusimus.
7) Antig. v. 178. ἐμοὶ γὰρ ὅστις πᾶσαν εὐθύνω(ν) πόλιν μὴ — ἅπτεται
8) „ v. 219. τὸ μὴ 'πιχωρεῖν τοῖς ἀπιστοῦσι(ν) τάδε
9) „ v. 288. ἢ τοὺς κακοὺς τιμῶντας εἰσορᾷ(ς) θεούς;
10) „ v. 397. ἀλλ' ἔ(σ)τ' ἐμὸν Σ' οὔρμαιον, οὐκ ἄλλον, τόδε.
11) „ v. 666. ἀλλ' ὃν πόλις στήσει(ε), τοῦδε χρὴ κλύειν.

12) Antig. v. 701. ἐμοὶ δὲ σοῦ πράσσοντός εὐτυχῶ(σ), πάτερ cet.

13) „ v. 835. ἡμεῖ(ς) δὲ βροτοὶ καὶ θνητογενεῖς.

14) „ v. 1107. δρᾶ νυν τάδ' ἐλθὼν μηδ' ἐπ' ἄλλοι-(σι)ν τρέπε

15) „ v. 1275. οἴμοι λακπάτη(τον) ἀντρέπων χαράν.

Haec fere sunt, quae ex Antigona huc pertinent neque quisquam dubitabit, quin haec omnia rectissime ab S. emendata sint.

Addimus nonnulla exempla aliunde desumpta:

Oed. Reg. v. 277. οὔτ' ἔκτανον γὰρ οὔτε τὸν κτανόν(τ)' ἔχω

„ 681. δόκησις ἀγνὼ(ς) λόγων ἦλθε

„ 732. καὶ ποῦ'(σ)θ' ὁ χῶρος οὗτος οὗ τόδ' ἦν πάθος; simili modo atque Antig. 397.

„ 1118. εἴπερ τις ἄλλος πιστὸς ὠ(ς) νομεὺς ἀνήρ (i. e. fidus quibus quidem in rebus potest fidus esse istius conditionis homo.)

Electr. 484. π(α)λαιὰ

„ 811. σὲ πατρὸς ἥξει(ν) ζῶντα τιμωρόν ποτε

„ 1135. κακῶ(ς) ἀπώλου

„ 1394. πατρὸ(ς) εἰ(ς) ἑδώλια

„ 1498. ταφεῦσιν ὦ(ν) τόνδ' εἰκός ἐστι τυγχάνειν,

et alia, quae afferre injucundum esset.

His omnibus locis Laurentianus manifesto corruptus fuit, quod quomodo factum sit, certo dici nequit. Aut enim librarii negligentiae inscitiaeque illae elisiones obtrudendae sunt aut archetypo, quod ille descripsit. Nobis quidem haec altera sententia verisimilior esse videtur,

primum, quod librarium, quippe indoctum stolidumque hominem ubique anxie archetypi vestigia pressisse scimus, deinde quod etiam his locis fere semper literas ν et σ esse omissas animadvertimus, quae quidem res indicare nobis videtur, illa menda fuisse propria archetypi. Confirmatur haec sententia loco quodam Oed. Reg. fabulae, qui satis memorabilis est. Illic hodie legitur v. 676.

Οἰδ. οὔκουν μ' ἐάσει(ς) κἀκτὸς εἶ; Κρ. πορεύσομαι

Prima manus primo scripserat ita: οὐκομμ' ἐάσε κἀκτὸς εἶ; tum prius μ *radendo* in ν mutavit et υ suprascripsit, tum etiam alterum ε verbi ἐάσε correxit in ει. Opinor vero, si quo alio, librarium hoc loco, cui tantum temporis operaeque tribuit, archetypon suum inspexisse et expressisse. Vix credibile igitur est, σ illud, quod postea ab S. rectissime additum est, in archetypo exstitisse.

Quae quum ita sint, de locis hucusque allatis id nobis dicendum videtur, rectissimas quidem manifestorum Laurentiani mendorum correctiones illos continere, sed minime iisdem effici, diorthotam ad eas inveniendas archetypo illius codicis usum esse. Omnino major pars illorum locorum ita comparata est, ut quilibet sermonis graeci mediocriter tantum peritus eos corrigere potuerit nullo codice collato inspectove. Incertum igitur manebit, utrum corrector noster illos locos conjecturis, quas aut ipse periclitatus aut ab aliis mutuatus erat, emendaverit, an codice quodam, sive archetypon sive aliud exemplar fuit, accuratius inspecto. Ceterum vix opus erit monere, etiam illius generis vitia ab diorthota ad minimam tantum partem sanata esse.

Cap. III. Jam sequuntur loci, ubi diorthota non jam singulas literas, sed particulas et totas voces recte supplevit.

16) Antig. 538. ἀλλ' οὐκ ἐάσει τοῦτό γ' ἡ δίκη(σ',) ἐπεὶ
οὔτ' ἠθέλησας οὔτ' ἐγὼ 'κοινωσάμην

17) „ 1234. πατρὸς Φυγαῖσιν ἡμπλακ'. εἶ(θ' ὁ) δύς-
μορος αὐτῷ χολωθείς sqq.

18) „ 91. οὐκοῦν, ὅταν δὴ (μὴ)σθένω, πεπαύσομαι

His exemplis addimus ex aliis fabulis congesta:

Ajac. v. 1275. ἐρρύσατ' ἐλθὼν (μοῦνος)

Oed. R. v. 440. οὔκουν (σὺ) ταῦτ' ἄριστος εὑρίσκειν
ἔφυς;

„ v. 857. ὥστ' οὐχὶ μαντείας γ'(ἂν) οὔτε τῆδ' ἐγὼ
βλέψαιμ' ἂν οὔνεκ' οὔτε τῆδ' ἂν ὕστερον.

Electr. v. 261. ἥ πρῶτα (μὲν τὰ) μητρὸς, ἥ μ' ἐγείνατο,
ἔχθιστα συμβέβηκεν·

„ v. 365. οὐδ' ἂν σὺ, σώφρων γ' οὖσα. νῦν (δ') ἐξὸν πατρὸς
πάντων ἀρίστου παῖδα κεκλῆσθαι sqq.;

quam particulam (δέ) saepissime omissam haud raro S. addidit; cf. etiam Oed. Col. vv. 746. 1209. 1363 cet.

Electr. v. 920. (Φεῦ) τῆς ἀνοίας ὡς σ' ἐποικτείρω πάλαι

„ v. 1362. χαῖρ'· ἴσθ(ι δ') ὡς μάλιστα σ' ἀνθρώπων
ἐγώ cet.

„ v. 1490. — ὡς ἐμοὶ τόδ' ἂν κακῶν μόνον (γέ-
νοιτο) τῶν πάλαι λυτήριον.

Phil. 16. ἀλλ' ἔργον ἤδη σὸν τὰ λοίθ' ὑπηρετεῖν
σκοπεῖν(θ') ὅπου 'στ' ἐνταῦθα δίστομος πέτρα
τοιάδ' cet.

„ v. 306. — πολλὰ γὰρ τάδε
ἐν τῷ μακρῷ γένοιτ' ἂν ἀνθρώπων χρόνῳ

Phil. v. 762. βούλει λάβωμαι (δῆτα) καὶ ϑίγω τί σου;
Oed. Col. 1462. ἴδε (μάλα) μέγας ἐρείπεται
„ 1729. ϑέμις δὲ πῶς (τάδ') ἐστί;

Haec omnia verba, quae uncis inclusimus, necessaria et optime ab diorthota restituta esse, paene primo obtutu apparebit. Potest vero pro certissimo haberi, diorthotam lacunas illas manifestas non semper suis conjecturis explevisse. Omnia enim, quae tali modo addidit, summam veritatis speciem prae se ferunt; nusquam invenimus lacunam inepte ab illo expletam. Miri autem aliquid haberet, si diorthota, quem alias summopere hallucinantem deprehendimus, suo ingenio solas lacunas aptissime sanasse acciperemus. Jam igitur concedendum erit, eum plurimas earum, quas adhuc tetigimus, correctionum ex codice illo, quem in promptu habebat, desumpsisse; quod quidem exemplar archetypi, quo librarius usus erat, simillimum fuisse inde apparet, quod multae aliae lacunae et leviores et graviores in codice Laurentiano exstant, quae eaedem etiam in illo exemplari fuisse sumendum est.

Jam pergamus ad aliud quoddam genus correctionum, in quo diorthota Dindorfii haud perinde felix fuit atque in praecedenti illo supplementorum.

Cap. IV. Mutationes ex parte tantum rectae sive prorsus ineptae.

19) Antig. 53. ἔπειτα μήτηρ καὶ γυνὴ δίπλοῦν ἔπος, (πάϑος ab S)
πλεκταῖσιν ἀρτάναισι λωβᾶται βίον.

Sic Laurentianus a pr. m. recte habet. Verba: δίπλοῦν ἔπος in scholiis (quae S. scripsit) rectissime ita expli-

cantur: *διπλοῦν ονομα ἔχουσα, μήτηρ τε καὶ γυνή*. Tamen S. superscripsit *πάθος* prorsus ineptum, quamquam Demetrius Triclinius hanc lectionem, quae etiam in cod. Parisino 2712 (A) exstat, explicare studet. Nam prior explicatio, quam ille scholiasta dat: *διότι συνῆλθον ἀμφότερα, τὴν αὐτὴν μητέρα αὐτοῦ καὶ γυναῖκα γενέσθαι·* multo melius ad vocem *ἔπος* quadrat quam ad *πάθος*. Altera vero: *ἐπειδὴ προεῖπεν ὅτι ὁ πατὴρ αὐτῶν δυσκλεὴς ἀπώλετο, ὅπερ ἦν ἓν πάθος· διπλοῦν δὲ τὸ καὶ τὴν μητέρα πεπνίχθαι. διπλασία γὰρ ἐντεῦθεν ἡ δυστυχία αὐτῶν ἐγένετο* ideo ferri non potest, quod antecedit *ἔπειτα*, quod jam significat: „deinde, secundum“, atque sequitur *τρίτον δ' ἀδελφὼ* sqq.

Jam quod attinet ad originem illius vocis *πάθος*, vix credibile est eam ab diorthota, quem nulla necessitas premebat, fictam esse; sed accipiendum erit, *πάθος* in exemplari, quo ille homo utebatur, exstitisse et inde ab eo in Laurentianum translatum esse, quamquam ipse fortasse lectionem *ἔπος*, quippe quam intactam reliquerit, praeferebat.

20) Antig. 195. *Ἐτεοκλέα μὲν, ὃς πόλεως ὑπερμαχῶν*
(χε ab S.)
ὄλωλε τῆσδε, πάντ' ἀριστεύσας δόρι, sqq.
Voci *δόρι*, quae optime se habet hoc loco, S. superscripsit *χε* (i. e. *χερί*), quod vix fecisse eum crediderim, nisi ita in libro suo scriptum invenisset.

21) Antig. v. 316. prima man. haec scripsit:
οὐκ οἶσθα καὶ νῦν ὡς ἀνιαρῶς λέγεις;
S. maluit *εἶσθα* statim inter versus addita interpretatione: *ἄπιθι καὶ νῦν γὰρ λέγων ἀνιαρός μοι εἶ*.

Enuntiatum, quod, sicut a m. pr. scriptum est, perbene se habet, recepta lectione εἶσθα valde displiceret, quod post illum imperativum οὐκ εἶσθα minime argumentum illud, quo Kreon rex iram suam quodammodo excusare videretur, exspectamus. Summum vero hoc est: Custos, ad quem imperium illud pertinet, *non it*, sed manet.

22) Antig. 392. Prima manus:

ἀλλ' ἡ γὰρ ἐκτὸς καὶ παρ' ἐλπιδαχα
ἔοικεν ἄλλη μῆκος οὐδὲν ἡδονῇ sqq.

S., quum hoc scholion scriberet: ἡ ἀπροσδόκητος χαρὰ οὐκ ἔοικεν εἰς τὸ μέγεθος τῇ ἄλλῃ ἡδονῇ. ὅ ἐστι, πᾶσαν ἡδονὴν νικᾷ τὸ μέγεθος τῆς παρ' ἐλπίδας χαρᾶς, statim intellexit, quomodo mutilatus ille versus legendus esset. Addidit igitur post ἐλπιδαχα syllabam ρα, ita ut jam ἐλπίδα χαρά legeretur. Sed non animadvertit ille corrector, quum metrorum imperitissimus esset, ne ita quidem versum se recte habere, sed legendum esse: ἐλπίδας.

Vides igitur iterum, quid de διορθώσει illius hominis dicendum sit. Similis metrorum simplicissimorum ignorantia elucet ex hoc loco:

23) Ant. 398:

καὶ νῦν, ἄναξ, τήνδ' αὐτὸς, ὡς θέλεις, λαβὼν
καὶ κρῖνε κ'αξέλεγχ' ἐγὼ sqq.

ubi S. in fine prioris trimetri θέλεις mutavit in ἐθέλεις, ita ut anapaestus fieret, quem quidem tragicos in quinto pede nonnisi in nominibus propriis (velut Ant. v. 11) admisisse nesciebat.

24) Antig. 672. a prima manu scriptum exstat:

ἀναρχίας δὲ μεῖζον οὐκ ἔστιν κακόν.

S. particulae δὲ superscripsit γάρ, quod etiam in apographis est, ut supra (v. 53.) πάθος pro ἔπος.

Acquiescendum est in δέ, quod Laurentianus habet; sed vix crediderim, illud γάρ ex conjectura, quae hoc loco plane otiosa erat, irrepsisse. Sine dubio diorthota ita legebat in exemplari, quo praeter Laurentianum utebatur, quam lectionem tum etiam in hunc codicem transtulit.

25) Insequenti versu:

αὕτη (sc. ἀναρχία) πόλεις ὄλλυσιν, ἡδ'
ἀναστάτους — οἴκους τίθησιν sqq.

librarius πόλις θ scripserat, quam literam θ, quum nullo modo explicari posset, S. mutavit in τ'=τε, non videns literam illam prorsus delendam et pro πόλις scribendum esse πόλεις.

26) Jam saepius vidimus diorthotam vitia codicis quasi tangere tantummodo i. e. ex parte tantum corrigere, ita ut alterum malum inhaerescens remanserit. Similis res est

Antig. 759. ubi Kreon dicit:

ἆλῆθες; ἀλλ' οὐ, τόνδ' Ὄλυμπον, ἴσθ' ὅτι,
χαίρων ἐπὶ ψόγοισι δεννάσεις ἐμέ.

Hoc loco librarius, fortasse literis capitalibus deceptus, scripserat λεννάσεις, quod, quum intellegi non posset, S. in mutavit in δ' ἐννάσεις, quamquam ipse scripserat in scholiis: κακὰ δεννάζων] ἀπὸ τοῦ δεινὸν δεινάζω καὶ δεννάζω, ὡς Φαεινὸς, Φαεννός.

27) Locus, qui sequitur, luculentissime docet, quomodo haud paucae lectionum ab S. illatarum natae sint. Iterum enim Antig. v. 970. librarius rectissime tradiderat:

— — — ὁ Θρηκῶν ἄξενος
Σαλμυδησσὸς, ἵν' ἀγχίπτολις Ἄρης
δισσοῖσι Φινείδαις sqq.

S. in scholiis haec invenerat: τὸ δὲ „ἵνα" τοῖς ἄνω συνάπτεται, ἵνα ἀκταὶ Βοσπόριαι καὶ οὐδὲν λείπει· ὅσοι δὲ γρ. ὃν Ἄρης, περιττὸν λαμβάνουσι τὸ ὄνομα, quibus lectis sive scriptis hanc lectionem ὃν, quae nullo modo ferri potest, voculae ἵν' superscripsit.

28) Antig. 1189. ὑπτία δὲ κλίνομαι
δείσασα πρὸς δμωαῖσι κἀποπλήσσομαι.
εσ

In cod. Laur. exstat: δμώαῖσι accentu super ω et εσ ab S. scripto. Librarius sine dubio lectionem sui exemplaris i. e. archetypi praebuit, S. voluit δμώεσσι, quod, ni fallor vix scripsisset, nisi in libro quodam hanc formam invenisset.

29) Aeque otiosum est, quod *Antig. 1208.* a manu diorthotae scriptum exstat:

φωνῆς δ' ἄπωθεν ὀρθίων κωκυμάτων
κλύει τις ἀκτέριστον ἀμφὶ παστάδα,
καὶ δεσπότῃ Κρέοντι σημαίνει μολών.
αϑ

ubi Laur. μολών, αϑ ab S. habet.

30) Antig. 1222. ἐν δὲ λοισθίῳ τυμβεύματι
τὴν μὲν κρεμαστὴν αὐχένος κατείδομεν,
βρόχῳ μιτώδει σινδόνος καϑημμένην.
ει

Laur. μιτ$^{\varrho}$ρώιδῃ ει a m. pr. superscripto, ϱ vero, cujus pars superior supra versum exstat, ab S. addito. Βρόχος μιτώδης σινδόνος est laqueus ex linteo factus, qui (μιτώδει) fili instar contortus est. Proprie epitheton

μιτώδης pertinet ad σινδόνος, nam σινδών id est, quod fili instar contortum erat. Sed quum βρόχῳ σινδόνος unam quasi notionem efficiant, epitheton illud ad nomen regens βρόχῳ adjectum est.

Ceterum μιτώδης apud Sophoclem ἀπαξλεγόμενον, quod dicunt, est, aeque atque illud μιτρώδει = ex zona confectus, si a Sophocle scriptum esset, id quod nemo crediderit.

31) Antig. 1314.

ποίῳ δὲ καὶπελύσατ' ἐν φοναῖς τρόπῳ;

Dindorfius recte monet: ἐν φοναῖς ἀπελύσατο eodem modo dictum esse atque Ant. 1229. ἐν τῷ συμφορᾶς διεφθάρης; Diorthota vero verbis ἐν φοναῖς superscripsit εἰς φονάς, quod ex scholiis desumpsisse videtur, ubi haec leguntur:

τίνι τρόπῳ, φησὶν, ἐλύετο, καὶ ἐφέρετο εἰς φονάς; ἀντὶ τοῦ, ποίῳ τρόπῳ εἰς φόνον ἔπεσεν;

Simili modo diorthotam etiam in ceteras fabulas prorsus falsas sive superfluas lectiones intulisse, docebunt haec exempla.

In Trachin. fabula, in qua omnino quinque tantum loci exstant, qui diorthotae adscribuntur (duo versus omissi, quos supplevit et duae lectiones cum sigla γρ.) unica illius mutatio parum felix fuit. Est locus saepe tentatus et nostris demum temporibus aptissime restitutus: v. 602., ubi Dejanira dicit:

ἀλλ' αὐτὰ δή σοι ταῦτα καὶ πράσσω, Λίχα,
ἕως σὺ ταῖς ἔσωθεν ἠγορῶ ξέναις,
ὅπως φέρῃς μοι τόνδε ταναΰφῃ πέπλον,
δώρημ' ἐκείνῳ τ'ανδρὶ τῆς ἐμῆς χερός.

Pro τόνδε ταναΰφῃ, ut nunc legitur, librarius scripse-

rat: τόνδε γ' εὐυφῆ, quod etiam in illius exemplari fuisse facile credimus. S. autem super εὐ— scripsit ᾰ̔, miram quandam sive incuriam sive imprudentiam prodens, quum spiritus lenis et accentus doceant, eum ᾰ̔ϋφῃ legere voluisse. Fortasse tamen erravit tantum in ponendo accentu. In scholiis enim haec tradidit:

εὐϋφῆ πέπλον: ἰσχνουργῆ. Οὐκ εὖ δὲ τὸν ἀνδρεῖον χιτῶνα πέπλον φησί. γρ. δὲ ἀϋφῆ, ἀντὶ τοῦ λεπτοϋφῆ.

Tres lectiones: εὐϋφῆ, εὐαφῆ, ἀϋφῆ hoc loco in mss. inveniuntur, quarum ne una quidem ferri et a Sophocle scripta esse potest, quod manifesto docet particula γε (ἀϋφῆ, ut jam Reiskius vidit, metro oppugnat), quae nullo pacto explicari potest. Est vero elegantissima Wunderi conjectura: τόνδε ταναϋφῆ = ποδήρη (comparato illo Homerico: τανύπεπλοι γυναῖκες), quae jam omnibus probatur et scholiorum et lexicographorum (Hesychii, Photii ac Suidae) explicatione: λεπτοϋφῆ confirmatur.

Sine dubio corruptela illius locis antiquior fuit, quum nec in librarii nec diorthotae exemplari rectissima lectio ταναϋφῆ exstitisse videatur.

Ajac. 1253.

μέγας δὲ πλευρὰ βοῦς ὑπὸ σμικρᾶς ὅμως
μάστιγος ὀρθὸς εἰς ὁδὸν πορεύεται.

Laur. πλευρᾶ a pr. m. quod in πλευρὰν ab S. mutatum est.

Erravit librarius tantum in accentu, dum praeterea lectio ejusdem multo melior et poetae orationi accommodatior quam illa diorthotae.

μέγας(τὰ) πλευρὰ totum corpus significat, quo modo

tragici saepissime illa voce utuntur. Diorthota autem, si quid mutare volebat, certe melius πλευρὰς quam singularem πλευράν scripsisset.

Longe frequentissimae similes ineptiae correctoris illius in Oed. Col. fabula inveniuntur, ex quibus potiora tantum exempla afferre liceat.

Oed. Col. v. 33.

ὦ ξεῖν', ἀκούων τῆσδε τῆς ὑπὲρ τ' ἐμοῦ
αὐτῆς θ' ὁρώσης οὔνεχ' ἡμῖν αἴσιος
σκοπὸς προσήκεις ὧν ἀδηλοῦμεν φράσαι.

In Laur. a. m. pr. exstat τῶν; ex iis, quae sequuntur S. fecerat ἃ δηλοῦμεν, lectionem corruptam magis etiam corrumpens. Nam recte se habet, quod fortasse librarius scripserat: ἀδηλοῦμεν=ἀγνοοῦμεν (cf. ἀδηλία quod Hesychius interpretatur ἄγνοιαν: H. Stephanus), nisi quod ante scribendum erat ὧν pro τῶν, quum tragici in diverbiis formam pronominis relativi consonanti incipientem nonnisi ad vitandum hiatum admittere soleant, quod tamen diorthota vix scire poterat. Cf. Elmslejus ad locum.

Oed. Col. 336.

Oed. οἳ δ' αὐθόμαιμοι ποῦ νεανίαι πονεῖν;
Ism. εἶσ' οὔπερ εἰσὶ· δεινὰ τἀν κείνοις τανῦν.

Laur. a m. pr. δ' ἐκείνοις. S. superscripsit ν, ut jam δ' ἐκείνοις=δ' ἐν κείνοις exstaret.

Laurentianum hoc loco corruptum esse, metrum docet. Id, quod diorthota correxit, loco non convenit, quoniam, ut jam G. Hermannus vidit, particula δέ inutilis est. Optime igitur Schaeferus conjecit τἀ κείνοις scribendum esse, quod fortasse vetus scholiasta legit expli-

cans: νῦν δὲ τὰ ἐν ἐκείνοις δεινά ἐστιν, quod tamen fugit diorthotam.

Parum etiam doctrinae ostendit hic homo, si Oed. Col. v. 415. μολόντες mutat in μολοῦντες. Nam μολέω nihil est.

Idem dicendum est de v. 726. ubi chorus loquitur:

ϑάρσει, παρέσται· καὶ γὰρ εἰ γέρων ἐγὼ,
τὸ τῆσδε χώρας οὐ γεγήρακε σϑένος.

ubi S. supra ἐγώ scripsit κυρῶ. Vehementissime enim illud ἐγώ postulatur opposito: τὸ τῆσδε χώρας σϑένος. Sed fortasse illud κυρῶ interpretantis est, quae tamen interpretatio perspicuo hoc loco valde superflua esset.

Oed. Col. 767.

οὐκ ἤϑελες ϑέλοντι προσϑέσϑαι χάριν.

Librarius fortasse pro ἤϑελες ϑέλοντι scripserat ἠϑέλοντι. Certe nunc in angustiore litura ab S. ϑελες ϑέλοντι scriptum exstat, cui una tantum litera ἡ addenda est, ut sensus et metrum constet.

Valde memorabilis hic locus est:

Oed. Col. 1220.

....ὁ δ' ἐπίκουρος ἰσοτέλεστος
Ἄϊδος ὅτε μοῖρ' ἀνυμέναιος
ἄλυρος ἄχορος ἀναπέφηνε
ϑάνατος ἐς τελευτάν.

Librarius primo recte scripserat ἐπίκουρος, quod unicum, sicut ἰσοτέλεστος cum ϑάνατος conjungendum, et sensui et metro convenit. Tum vero, non liquet a quo, vox ἐπίκουρος in ἔπι κοῦρος mutatum, quod prorsus ineptum est. S. autem ad marginem scripsit: οἶμαι κόρος. Intellexit igitur ἔπι = ἔπεστι κόρος.

Ex addito illo οἶμαι cognoscimus, diorthotam κόρος

adscripsisse ex sua ipsius conjectura et Dindorfius in Scholl. in Soph. Tragoedias vol. II. p. 58. ad hunc locum adnotat, verbum illud οἶμαι sic saepe legi in margine codicis L. in Aeschylo pariter ac Sophocle. Dolendum est, quod Dindorfius locos illos, ubi οἶμαι in cod. exstat, nusquam in adnotationibus criticis commemoravit, quum melius tunc distingui posset. quos locos diorthota conjectura tentaverit et quos codice quodam inspecto sanaverit mutaveritve. Nobis igitur in eo acquiescendum erit, quod statuimus luculento exemplo, diorthotam suis ipsius conjecturis minime prorsus abstinuisse, atque si Nauckio credendum esset, exemplum illud simul doceret, diorthotam talem fuisse, qui vix unquam conjecturam bonam et probabilem excogitavisset. Nos quidem quamquam in universum huic Nauckii de acumine illius hominis judicio assentimur, non intelligimus, quo modo id illo potissimum probetur et demonstretur, praesertim quum animadverterimus, prioribus temporibus, ubi de scriptura manus primae non tam certo atque hodie constabat, viros velut Erfurdtium, G. Hermannum alios lectionem illam ἔπι κόρος acriter defendisse. Sed id concedendum est, eum, qui „ἐπίκουρος“ ante oculos haberet et hanc vocem mutaret, operam perdidisse, quoniam vox illa quum non tam difficilis intellectu tum ad sententiam aptissima et elegantissima est.

Oed. Col. 1348.

ἀλλ' εἰ μὲν, ἄνδρες τῆσδε δημοῦχοι χθονός
μὴ τύγχαν' αὐτὸν δεῦρο προσπέμψας ἐμοί
Θησεὺς sqq.

Sic Laurentianus, dum diorthota, fortasse quod putabat „δημοῦχος“ significare unice: „imperium tenens“, mutavit δημοῦχοι in δημοῦχος, quod cum Θησεύς conjungebat. Tum vero articulus deesset. Sed jam priusquam viri docti compertum haberent, δημοῦχοι in codice fuisse, id scribendum esse conjecerunt comparato v. 1089.: γᾶς τᾶσδε δαμούχοις.

Exempla, quae hoc IV. capite contulimus, sufficiunt ad demonstrandum, magnam partem earum lectionum, quae ab diorthota in Laurentianum illatae sunt, non modo non necessarias sed manifesto inutiles et superfluas esse. Docent etiam id, quod jam supra indicavimus, istum correctorem eo ingenii acumine eaque doctrina, quae ab διορθωτῆ i. e. ab homine, cujus provincia quodammodo est libros manuscriptos perlustrare et emendare, exspectamus, prorsus destitutum fuisse. Quod vero attinet ad originem illarum lectionum, id certe nemo sibi persuaserit, ex archetypo Laur. eas derivatas esse, quippe quod plurimis locis omnino non corruptum fuerit. Immo vidimus, partem ex scholiis depromptam esse, semel diorthotam in manifesta conjectura deprehendimus, aliam denique sed fortasse minimam partem ex nescio quo codice desumptam esse cogitari licet. Quod quidem multo saepius factum esse putamus in iis locis, quos rectius et feliciore eventu quam superiores mutavit, quos, ne parum justi erga eum inveniamur, jam afferemus.

Cap. V. Mutationes rectissimae.

32) Antig. v. 171.

καθ' ἡμέραν ὤλοντο παίσαντές τε καὶ
πληγέντες αὐτόχειρι σὺν μιάσματι etc.

ubi in verbo παίσαντες, quod sine dubio vera lectio est, literae αισ duabus literis elutis ab S. substitutae sunt.

33) Huc etiam pertinet, quod S. ante versum 388 scil.

φύλαξ scripsit Ἀγ.(γελος) a m. pr. Monendum tamen est, hunc esse unicum locum, ubi S. in personarum praescriptionibus aliquid mutasse refertur, dum alias similia a secunda manu facta esse adnotatur, quod apud Dindorfium ita intellegendum est, ut primam manum certe non fuisse dicatur.

34. Antig. v. 387.

Κρ. τί δ' ἔστι; ποίᾳ ξύμμετρος προὔβην τύχῃ;

Laur. habet ἐξέβην. S. superscripsit hoc modo: προύβHN. Utrumque ferri potest. Dindorfius, quamquam in Scholl. Soph. vol. II. p. 65. adnotavit: „Quod in textu super ἐξέβην scriptum est προύβHN ex more codicis glossema potius est quam varia lectio," in textu προὔβην expressit nescio quo jure. Monet quidem in commentario ad hunc locum: ξύμμετρος] opportunus. Tum recte, ut videtur, διορθωτὴς restituit προὔβην pro ἐξέβην, quod ex glossemate illatum, ut vocabula cum πρό composita interdum per ἐκ explicant grammatici. Sed haec causa non sufficit, ut a lectione Laurentiani abscedamus.

35) Antig. 426.

οὕτω δὲ χ'άτη, ψιλὸν ὡς ὁρᾷ νέκυν,
γόοισιν ἐξῴμωξεν sqq.

Sic Laurentianus a m. pr., quod aperte corruptum fuit.

S. verbis χ'άτη spiritum asperum et υ addidit, ita ut jam χ'ὑάτη legeretur, sine dubio recte, dum apud Dindorfium in ed. Oxon. manifesto typothetae errore exstat: χαΰτη

36) Antig. v. 928.

εἰ δ' οἶδ' ἁμαρτάνουσι, μὴ πλείω κακὰ
πάθοιεν ἢ καὶ δρῶσιν ἐνδίκως ἐμέ.

ubi pro ἐνδίκως, quod contra sententiam pugnat, recte S. ἐκδίκως scripsit, quod in scholiis quoque explicabatur.

37) Antig. 1193. κὐδὲν παρείσω τῆς ἀληθείας ἔπος.

S. voci παρεισω superscripsit η, ita ut παρήσω, quo nihil simplicius erat.

38) Antig. 523.

οὔτοι συνέχθειν, ἀλλὰ συμφιλεῖν ἔφυν.

Laurentianus habuerat:

οὐτουυνέχειν a m. pr.

S. mutavit recte του in τοισ.

Ex aliis fabulis haec addimus exempla:

Oed. Col. 16.

χῶρος δ' ὅδ' ἱρὸς, ὡς ἀπεικάσαι

Librarius ἀφεικάσαι, quae verbi forma, ut Keilius testatur, titulis passim confirmatur. S. tamen recte superscripsit π.

Oed. Col. 182.

Antig. ἔπεο μὰν, ἔπε' ὦδ' ἀμαυρῷ
κώλῳ, πάτερ, ᾗ σ' ἄγω

ubi ineptum librarii ἇσ ἄγω bene ab S. in ᾗ σ' ἄγω mutatum est.

Oed. Col. 229.

Chor. οὐδενὶ μοιριδία τίσις ἔρχεται
ὧν προπάθῃ τὸ τίνειν

Librarius scripserat προμάθῃ, quod explicari non potest. S. suprascripsit π = προπάθῃ, non quod sententiam enuntiati: „Nemini poena fatalis contingit, quum rependit injurias prius acceptas" recte perspexerat, (quod nullo modo potuit, quum in antecedentibus sine ulla offensione legerit: οὐδενί μοι ῥαιδία sive οὐδενὶ μοίραι δία τίσις ἔρχεται, quae sensu carent) sed quod προπάθῃ in scholiis invenerat. Est igitur hoc luculentum indicium, diorthotam sine ipsius judicio in Laurentianum intulisse, sicubi lectionem quandam ab illo discrepantem invenerat.

Oed. Col. 893.

Οἰδ. πέπονθα δεινὰ τοῦδ' ὑπ' ἀνδρὸς ἀρτίως
Θησ. τὰ ποῖα ταῦτα, τίς δ' ὁ πημήνας λέγε.

Dindorfius adnotavit:

ποῖα ταῦτα] Literas α τ inseruit S. erasis duabus, quae post αῦτα scriptae fuerant.

Quidquid fuit, quod librarius peccaverat, liquet diorthotam locum recte restituisse.

Idem dicendum est de duobus aliis locis, dico

Oed. Col. 1355:

ἃ νῦν ὁ σὸς ξύναιμος ἐν Θήβαις ἔχει,

ubi librarius falso ὁ σοὶ scripserat, et paullo infra

v. 1360. οὐ κλαυτὰ δ'ἐστὶν, ἀλλ' ἐμοὶ μὲν οἰστέα, ubi scriba contra metrum scripserat: οὐ κλαυστ' ἐστὶν sqq.

Juvabit denique locum singularem in suo genere attulisse.

Oed. Reg. 1264.

πλεκταῖς ἑώραις ἐμπεπλεγμένην,

ubi, quum pr. m. ἑωραῖς scripsisset, S. postmodum rectiorem accentum intulisse refertur.

Miramur autem audaciam collatoris (Duebneri), qui saepissime in integris versibus et vocibus haesitans, utrum manui primae an secundae tertiaeve aliquid adscribendum sit, hoc loco de origine minuti accentus certissime judicat.

Haec fere sunt, quae bene diorthota in Sophocle restituit. Valde exigua sunt et minoris momenti, quam ut majorem inde de correctoris illius facultatibus industriaque opinionem nacti simus

Unum tamen addere volumus, quod laudi diorthotae vertendum est: textum Laurentiani non corrupit, sed quum tantum periculum adesset, ne propter doctrinae judiciique, quibus instructus erat, inopiam angustiasque vera et genuina, quae prima manus nobis praebet, scripturae Sophocleae vestigia, tolleret sive obliteraret, id fere nusquam ab eo commissum est, quum adhibita sanissima et sapientissima quadam continentia, ubicunque scriptura Laurentiani plena certe erat, vix quidquam in ipso textu mutaret, sed discrepantem, quam fors ei obtulerat, lectionem inter versus tantum adnotaret.

De codice illo, quem diorthota praeter Laurentianum possidebat, nihil docent mutationes illae. Attamen ex

mutationum quidem numero haec, quae recte diorthota scripsit, potissimum sunt, quibus exemplis omnino quisquam uti posset, si ex illo genere quid ad naturam ejus exemplaris, quod correctori praeter L inspicere certe licebat, conjicere vellet. Nam de origine earum lectionum, de quibus nondum disseruimus, prorsus constat, eam non codici cuidam diorthotae, sed scholiis, in quibus describendis occupatus erat, adscribendam esse.

---

§. 4. De lectionibus cum sigla γρ. vel καὶ γρ. in codice Laur. ab S. adnotatis.

Res est notissima, jam veterum Graecorum et Romanorum temporibus diversas eorundem sriptorum recensiones partim valde inter se discrepantes exstitisse. Quas quum grammatici aevi sequentis inter se conferrent, varias, quas invenerant, lectiones in exemplaribus suis adnotarunt siglo γρ. praeposita. Quae quidem sigla etiam in Laurentiano saepissime invenitur, ita quidem, ut persaepe conjunctio καὶ addita sit, quod ipsum jam satis indicat, γρ. illud non γραπτέον sed γράφεται intellegendum esse. Ut omnem de hac re dubitationem eximamus, locum afferre licebit, qui in Electr. fab. 1450. exstat, ubi ad verba:

ποῦ δῆτ' ἂν εἶεν οἱ ξένοι δίδασκέ με

plene scriptum S. adnotavit:

γράφεται μήνυέ μοι.

Apparet igitur, diorthotam, ubicunque sigla illa utatur, non tam dicere, sic esse scribendum, quam judicio suo nullo interposito referre tantum, quae tradita ipse invenerat, et quidem omnium verisimillimum est, illas

lectiones omnes jam in ea scholiorum collectione exstitisse, quam diorthota descripsit, sicut ipse eas mediis scholiis interposuit. Numerus vero illarum lectionum compositus est variis diversi generis rebus: pars enim variae lectiones sunt, quae fortasse jam antiquitus natae erant, pars mera glossemata, primo ab homine quolibet docto ad explicationem verborum poetae adscripta, tum vero a scriba quodam pro variis lectionibus habita et sigla illa γρ. addita in alios codices translata.

Jam ex iis, quae diximus de origine illarum lectionum, qualem apud alios scriptores eam cognitam habeamus, sequeretur, summam etiam apud Sophoclem cautionem esse adhibendam, ne inconsulte eas pro variis lectionibus habeamus, quibus locus in emendando Sophocle vindicandus sit.

Jam transeamus ad examinanda ea exempla, quae in Ant. fabula invenimus.

39) Antig. 82.

Ism. οἴμοι ταλαίνης, ὡς ὑπερδέδοικα σου

Ant. μὴ ἐμοῦ προτάρβει· τὸν σὸν ἐξόρθου πότμον.

ab S. γρ. βίον, manifestum glossema, quod πότμον multo exquisitius est.

40) Antig. 632.

Kr. ὦ παῖ, τελείαν ψῆφον ἆρα μὴ κλύων

τῆς μελλονύμφου πατρὶ λυσσαίνων πάρει;

ab S: γρ. θυμαίνων, sine dubio explicatio illius verbi λυσσαίνων, quod hoc uno loco apud Sophoclem legitur.

41) Antig. 697.

ἥτις τὸν αὐτῆς αὐτάδελφον ἐν φοναῖς

πεπτῶτ' ἄθαπτον μήθ' ὑπ' ὠμηστῶν κυνῶν

εἴασ' ὀλέσθαι sqq.

S. adscripsit γρ. λύκων.

ὠμηστῶν jam apud Homerum canum potissimum epitheton est. De lupis vero Sophocles nusquam loquitur, de canibus Antig. 206 et 257.

42) Antig. 646.

Kreon: τί τόνδ' ἂν εἴποις ἄλλο πλὴν αὐτῷ πόνους
φῦσαι, πολὺν δὲ τοῖσιν ἐχθροῖσω γέλων;

S. adnotat γρ. πέδας, cui voci nihil tribuendum, quamquam in scholiis explicatur.

43) Antig. 699.

οὐχ ἥδε χρυσῆς ἀξία τιμῆς λαχεῖν;

S. γρ. καὶ στήλης, illatum fortasse ab eo, qui offendebat in χρυσῆ τιμή, quae conjunctio verborum paullo rarior est. Honorem vero aurearum columnarum Athenienses non cognoverunt, contra χρυσᾶς εἰκόνας, quae tamen contrarium sensum „poenae" habebant.

44) Antig. 845.

ἰὼ Διρκαῖαι κρῆναι Θήβας τ'
εὐαρμάτου ἄλσος, ἔμπας
ξυμμάρτυρας ὔμμ' ἐπικτῶμαι
οἷα φίλων ἄκλαυτος sqq. ἔρχομαι.

Quod diorthota adscripsit cum γρ. ἐπιβοῶμαι metro adversatur, ut antistropha docet, quam quidem Bergkius violentius mutare cogebatur, quum non ἐπιβοῶμαι, sed ἐπιβῶμαι in textum reciperet. Sed nulla causa est, cur a manu prima abscedamus.

45) Antig. 688.

σοῦ δ'οὖν πέφυκα πάντα προσκοπεῖν, ὅσα
λέγει τις ἢ πράσσει τις ἢ ψέγειν ἔχει.

S. in margine γρ. σὺ δ'οὖ πέφυκας.

Constructio verborum, quam Laurentianus praebet, paullo difficilior est, quod fortasse causa fuit illius glossematis vel potius conjecturae.

Verba ita intellegenda sunt:

σοῦ προκοσπεῖν seqq. = illud magis mihi quam tibi contingit, ut cognoscam, quid homines cogitent, faciant, vituperent.

46) Glossemata manifesta etiam haec sunt:

Antig. 1270.

οἶμ' ὡς ἔοικας ὀψὲ τὴν δίκην ἰδεῖν· γρ. ἔχειν ab S. atque Antig. 1307.

ἀνέπταν Φόβῳ. τί μ'οὐκ ἀνταίαν
ἔπαισέν τις ἀμφιθήκτῳ ξίφει;

pro ἀνταίαν adnotatur ab S. γρ. καιριάν. ἀνταίαν scil. πληγήν, quod substantivum modo apponitur modo non.

47) Antig. 1327.

κέρδη παραινεῖς, εἴ τι κέρδος ἐν κακοῖς.
βράχιστα γὰρ κράτιστα τἂν ποσὶν κακά.

Quinque interpretationes horum verborum veteres proposuerunt, quas scholiasta enumerat. Sententia videlicet haec est: „Optimum est, praesentia mala quam primum missa facere.“

Diorthota adscripsit cum γρ. pro βράχιστα: κράτιστα, pro κράτιστα: τάχιστα, quae cur accipiamus nulla causa est, quamquam, ut saepius similia, per se ferri possunt. —

48) Antig. 521.

Antig. τίς οἶδεν, εἰ κάτω 'στὶν εὐαγῆ τάδε;

S. γρ. κάτωθεν pro κάτω 'στὶν.

De hoc loco idem judicandum est atque de exemplis sub nro. 45. 46. allatis.

Lectio κάτωθεν per se ferri potest, sed ita Sophoclem scripsisse non credimus, quum facilius ex κάτω 'στὶν fieri potuerit κάτωθεν, quam vice versa ex κάτωθεν, si semel scriptum erat, κάτω 'στίν.

Ex iis, quae hucusque attulimus exemplis elucet, fere semper lectiones cum γρ. pro glossematis habendas esse, quum in omnibus illis locis scriptura codicis Laurentiani tantum absit, ut corrupta sit, ut melior et exquisitior magisque sermoni poetae accommodata sit quam discrepantes illae lectiones. Jam vero de locis nonnullis videndum erit, ubi editores Sophoclis sicut Dindorfius, Nauckius lectiones diorthotae in textum receperunt; nam in iis, quae commemoravimus lectionibus rejiciendis (excepto uno illo loco v. 845, ubi Bergkius ἐ'πιβῶμαι scripsit) novissimi editores omnes consentiunt. Ac primus quidem exstat.

50) Antig. 153 v.

ὁ Θήβας δ' ἐλελίζων
Βάκχιος ἄρχοι

S. γρ. ἐλελίχθων, sumtum ex annotatione scholiastae: ὁ κινησίχθων. Et Dindorfius et Bergkius vocem illam verbo ἐλελίζων in textu substituerunt.

Nos quidem cum Nauckio censemus, nullam adesse causam, cur lectionem Laurentiani deseramus. Ne id quidem concedere possumus, ἐλελίχθων pulchrius et aptius dici, quae tamen causa nullo modo sufficeret, ut lectionem per se bonam contra codicis auctoritatem rejiceremus. Quid vero illi ἐλελίζων vi et pulchritudine deesse dici possit, assequi non possumus, si ipse Homerus canit: μέγαν δ' ἐλέλιξεν Ὄλυμπον. Praeterea simplicior et aptior est conjunctio verborum, si ἐλελίζων

retinemus, quam altera illa. Id jam inde apparet, quòd homines illi, qui ἐλελίχθων legunt, ambiguant, utrum Θήβας ut genetivum cum Βάκχιος conjungant an cum ἐλελίχθων.

50) Antig. 210.

ἀλλ' ὅστις εὔνους τῇδε τῇ πόλει, θανὼν
καὶ ζῶν ὁμοίως ἐξ ἐμοῦ τιμήσεται

Sic Dindorfius in edit. Oxon., dum codex Laur. a pr. m. ἐκ γ' ἐμοῦ adscripto ab S. in margine γρ. ἐξ ἐμοῦ.

Causa, cur Dindorfius, alii illud ἐξ ἐμοῦ praeferrent, ea fuisse videtur, quod v. 207. jam semel ἐκ γ' ἐμοῦ legitur, quod bis positum orationem languidam reddit; praeterea etiam, quod intellegi non potest, cur Κρέων illud ἐμοῦ particula γε tanta vi efferat, quum de ullo alio homine praeter se vix cogitare potuerit. Concedimus igitur, Laurentianum hoc loco corruptum et pro ἐκ γ' ἐμοῦ, qui error facile ex antecedenti ἐκ γ' ἐμοῦ nasci potuit, scribendum esse ἐξ ἐμοῦ.

51) Antig. 338.

Γᾶν

ἄθφιτον, ἀκαμάταν ἀποτρύεται,
ἰλλομένων ἀρότρων ἔτος εἰς ἔτος, ἱππείῳ γένει πολεύων.

Sic hodie in edit. Oxoniensi. Adnotat Dindorfius ibidem: ἀποτρύεται ἰλλομένων] ἀποτρύετ' ἀπλομένων (ο post λ ex ω facto) cum γρ. ἀποτρύεται ἰλλομένων ab S.

Hunc locum, sicut a m. pr. scriptus exstat, corruptum esse apparet.

Primum enim elisio in voce ἀποτρύεται a tragicis non admittitur, quamquam Dindorfius semel (Trach. v. 216.) eam adhibuit, repugnantibus tamen aliis viris doctis, tum ἀπλομένων nihil est. Est hoc denuo luculen-

tum quoddam documentum abstinentiae, de qua diximus, correctoris nostri, qui, quamquam textus manifesto corruptus erat, rectissimam lectionem *ἰλλομένων*, quam ante oculos habebat, non in ipsum textum intulit, sed cum *γρ.* adnotare satis habuit.

52) Antig. 429.

'Αγ. *καὶ χερσὶν εὐθὺς δισσὰν φέρει κόνιν*,

Laur. *δισσὰν ἐκφέρει*, accentu gravi super *α* a m. recentiore addito et eraso *ι* super *ν*.

γρ. δισσὰν φέρει ab S.

δισσὰν, quod in codice exstat, dici non potest; *δισσὰν* jam supra v. 246. legebatur: *κἀπὶ χρωτὶ δισσὰν κόνιν παλύνας*. Sed quum non intelligi possit, quomodo *ἐκ* illud natum sit, quod sequitur, nobis quidem praeferenda videtur Dindorfii conjectura: *δισσὰδ' ἐμφέρει* (comparato loco ex Aesch. Suppl. 785. *τὸ πᾶν δ' ἄφαντος ἀμ' πνοαῖς δισσὰς ὡς κόνις ἄτερθε πτερύγων ὀλοίμαν*), quod certe propius ad vestigia primae manus accedit.

53) Antig. 518.

Ant. *οὐ γάρ τι δοῦλος, ἀλλ' ἀδελφὸς ὤλετο*

Kr. *πορθῶν δὲ τήνδε γῆν· ὁ δ' ἀντιστὰς ὕπερ*

Ant. *ὅμως ὅ γ' Ἅιδης τοὺς νόμους τούτους ποθεῖ.*

Hoc loco pro *τούτους* a Dindorfio, Nauckio, Bergkio receptum est, quod diorthota adscripsit cum *γρ. ἴσους*, quod recte ab illis hominibus doctis factum esse vix crediderim.

Antigona enim non poterat dicere: *ὁ Ἅιδης τοὺς νόμους ἴσους ποθεῖ*; neque enim ille poscit *pares* (*ἴσους*) *νόμους* sed in universum *νόμους*, et eos quidem, quos Antigona fratri praestitit. Quare *τούτους* retinendum esse putamus.

54) Antig. 1296.

ἔχω μὲν ἐν χείρεσσιν ἀρτίως τέκνον,
τάλας τάδ' ἐναντία προσβλέπω νεκρόν.

Alterum versum dochmiacum corruptum esse jam docet metrum, ut de aliis rebus taceamus. Optimum est, quod S. exhibet cum γρ. τόνδ' ἔναντα, quod respicit ad praecedens illud ἀρτίως.

Multo melius quam ex Antig. fabula natura lectionum cum γρ. cognoscitur ex Ajace. Inveniuntur enim ibidem circiter viginti lectiones cum sigla γρ. adscriptae, quarum ne una quidem recipi potest, quasque pro meris glossematis habendas esse haud raro jam ex falso earum metro concludi potest. Sed jam satis dictum arbitror ad veram naturam variarum lectionum perspiciendam. Ostendimus originem earum non esse eandem, eas interdum bonas, sed multo saepius prorsus inutiles esse, quum partim ex commentariis grammaticorum Alexandrinorum, partim ex codicibus sive uno codice multis saeculis post scripto depromptae esse videantur. In eo autem codice et variae lectiones et conjecturae et glossae vel in margine vel inter lineas ita adscriptae fuisse videntur, ut aut nullis signis aut certe non iis, quae primo quisque aspectu agnoscere posset, distinctae essent. Hinc fortasse factum est, ut non raro, quod conjecturae loco aut explicandi causa in isto codice adnotatum fuit, ab interpretibus sive librariis serioris aetatis pro varia lectione et haberetur et in scholiis commemoraretur.

Si jam ad finem omnia, quae disputavimus, breviter comprehendimus, haec nobis de diorthota dicenda videntur:

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 058 397 8

Corrector ille codicis Laurentiani, immerito a Dindorfio διορθωτής appellatus, homo parum doctus argutusque fuit; sed codicem quendam usurpavit, qui textum et scholia Sophoclea continuit atque aetate Laurentianum, cui tamen simillimus fuisse videtur, antecessit. Ex hoc codice quinque ille versus supplevit, quos librarius omiserat, itemque nonnullas parvas lacunas sive codice suo inspecto sive conjectura facta recte explevit. Quae praeterea in codice novavit sive mutatione facta sive lectione super textum inter versus adnotata, nullius momenti quin etiam saepius inepta sunt. Denique simul cum scholiis magnam multitudinem lectionum descripsit et in codicem intulit, quae rarissime bonae frugis aliquid continent, sed mirum in modum ex dubiis lectionibus et otiosis sive male intellectis glossematis et veteribus conjecturis commixtae esse videntur.

Corrigenda.

Pag. 6. lin. 17 l. noris pro moris.
„ 7. „ 24. l. quos pro quas.
„ 18. „ 6. l. ex. g. apud pro apud ex. g.
„ 28. „ 16. l. pedestrem pro pedestram.

NOV. 13, 1883

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 058 397 8